1659

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
5 G
52

Bibliothecæ
Domus schol. Piarũ
S. Pantaleonis

Digitized by Google

Digitized by Google


CONFESSIONALE
R. P. F. HIERONYMI SAVONAROLÆ.

MVLTVM ILLVSTRIS, ET Reuerendiſſ. D. Alexandri Saulij, Epiſcopi Papienſis, & Comitis &c.

IVSSV EDITVM.

Cum nonnullis additis valde ad ordines ſacros initiandis, & omnibus perſonis Eccleſiaſticis vtilibus.

Domus S. Pantaleon Schol. Piarum



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PLACENTIÆ, Apud Io. Bazachium, 1605.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Google

INDEX EORVM,

Quæ libello hoc continentur.

PRima pars, quæ agit de ſpectãtib. ad confeſſorem priuſquã peccator ei peccata propalare incipiat, pagina. 2
Excommunicationes Bullæ Cœnę Domini. 8
Excommunicationes reſeruatæ Papę extra Bullam Cœnæ. 13
Excom. Epiſcopis de iure reſeruatæ. 27
Excom. à iure nemini reſeruatæ. 29
De excom. minori. 44
De interdicto. 48
De ſuſpenſione. 63
De irregularitate. 73
SEcunda pars de ordine examinãdi peccatoré. 81
De primo præcepto decalogi. 84
De voto. 86
De Superbia. 90
De ſecundo præcepto decalogi. 93
De tertio præcepto. 98
De Baptiſmo. 104
De confirmatione. 106
De pœnitentia. 107
De Euchariſtia. 111
De extrema vnctione, & ordine. 112
Addita de Matrimonio ex Concilio Trident. 114
De Matrimonio item. 118
De ſuperſtitioſo cultu. 130
De Accidia. 131
De præceptis ſecundæ tabulæ. 132
De honore parentum. 133
De homicidio. 134
De Inuidia. 137
De Ira. 137
De Scandalo. 138
De correctione fraterna. 140.
De luxuria in communi. 141
De Gula. 142
De Ebrietate. 142
De luxuria, & eius ſpeciebus. 143
De his, quæ fiunt in matrimonio. 148
De ornatu mulierum. 151

De

De ſeptimo, & decimo præcepto, & primò de Auaritia. 152
De Simonia. 153
De monaſterijs. 155
De Decimis. 156
De vſura. 157
De emptione, & venditione. 160
De reſtitutione. 162
De Ludo. 165
De inuentis. 166
De Bello. 166
De turpi lucro. 167
De iudicibus. 168
De falſo teſtimonio, & octauo præcepto. 169
De iudicio temerario. 169
De mendacio. 170
De peccatis linguæ. 171
TErtia pars de modo abſoluendi. 173
Canones pœnitentiales additi. 181
Interrog. promouendorum ad ordines, &c. 193
Int. de Baptiſmo. 198
Int. de Sacramento confirmat. 202
Int. de Sacramento Euchariſt. 203
Int. de Sacramento Extremæ vnct. 206
Int. de Sacramẽto ord. 105
Int. de ordinibus particularibus. 108
Scitu neceſſaria omnibus Chriſt. 220
Int. de Matrimonio. 225
Int. pro admittendis ad cõfeſſiones. 228
Int. de confeſſione. 229
Int. de ſatisfactione. 232
Int. de abſolutione ſacramentali. 234
Int. de manifeſto ſacramento pœnit. 235
Int. de Excommunicat. 238.
Int. de reſtitutione. 242
Int. de Vſura. 243

FINIS.

Digitized by Google

PROLOGVS REVERENDI PATRIS HIERONYMI SAVONAROLÆ, Ordinis Prædicatorum,

VENERABILIVM SACERDOTVM in audiendis confeſſionibus, introductorium præſtantiſſimum.

PONITE hęc verba mea in cordibus, & in auribus, & ſuſpēdite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate, docete filios veſtros, vt illa meditentur: Deuteronomij vndecimo capitulo. Quoniam ea, quæ à ſummis Pontificibus, ſacriſque doctoribus de regimine animarum (quòd omnium eſt difficillimum) nobis tradita ſunt, & conſcripta; tùm librorum, & quæſtionum, ac canonum multitudine; tum opinionum diuerſitate, in immenſum adeò excreuerunt, vt rudiores, nouellique confeſſores, tanquam intransfretabile pela-

gus ingreſſuri, ab eis deterreantur: ſtatui pro aſſidua fratrum meorum inſtantia, ad eorum vtilitatem, cui maxime inſeruiendum eſt, breui cõpẽdio, relicta allegationũ, & q̃onum numeroſitate, iuris naturalis, & diuini claues, ſeu regulas vtiles, ac patrum ſanctiones, iuriq; poſitiui ſtatuta, quæ communiter in confeſſionibus occurrere ſolent breui compendio colligere, & inſtar catenæ; eo ordine connectere, quo à principio vſque ad finem recipiendus eſt peccator, examinandus, & abſoluendus, atq; dimittendus. Hoc.n. quaſi tuto nauigio ſe committentes, vaſtum æquor enauigare poterũt. Per hæc enim ſi ſubtiliter fuerint intellecta, & tenaciter memoriæ retenta, tanquam per claues, quę ab alijs edita ſunt, aperientur, & dubia facile ſoluentur. Ponite ergo confeſſores hæc verba mea in cordibus, & in auribus veſtris, qui in hoc genere librorum magnitudinem, & numeroſitatẽ, obſcurilitatẽq; timetis. Et ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, vt quæ legitis, & memoriæ mandatis, opere exerceatis; quia (vt dicit Philoſ.) expertus medicus magis proficiet, tantummodo ſciente. Et inter oculos veſtros collocate, eo ꝙ hęc niſi quotidie reuoluantur, & impleantur, faciliter è corde labuntur. Docete filios veſtros, qui contriti ad vos, tanquam ad ſpirituales patres, currunt, vt illa meditentur die ac nocte in bonis operibus perſeuerando. Vt autem congruo ordi-

Digitized by Google

ordine procedamus, libellum in tres partes diuidemus. Prima declarabit quid agendum ſit, antequam pœnitens detegat peccata ſua. Secunda, quo ordine, & de quibus ſit interrogandus. Tertia, quæ & qualis pęnitentia pro ſatisfactione; & medela ſit ei iniungenda.

Prima pars aget de his, quæ pertinent ad confeſſorem, antequàm peccator ei ſua peccata manifeſtet.

COnfeſſor, cùm vocatur ad audiendū pęnitentem, ante oīa ſtatim ad deum per orationę ſe cōuertere debet; quia ars artiū regimen animarū; & bene regere, ſicut & bene regi, eſt donum Dei ſingulare. Cōuerſus ergo ad Deū dicat humiliter. (Cor mūdū crea in me Deus:) quia cor immundum nō poteſt animas mundare: (Et ſpiritum rectū innoua in viſceribus meis) nè cupiditate, vel inani gloria, vel curioſitate, vel ſēſualitate ducar: ſed ſolum hoc faciam pro gloria tua, & animarum ſalute. (Ne proijcias me à facie tua). i. à lumine vultus tui, nè per ignorantiā errans, velut cœcus cœco ducatum præſtem. (Et ſpiritum ſanctum tuum nè auferas à me). i. non me permittas cadere in tentationē audiēdo aliena peccata, per quē caſum ſpiritum tuū à me auferas. (Redde mihi letitiā ſalutaris tui) poſt confeſſionem auditam, ne remanentibus in me peccatorum (quæ audiero) phantaſmatibus, lætitiam deuotionis Ieſu Chriſti filij tui penitus

amittam (& ſpiritu principali confirma me) vt, ſuple, ſemper fortior ſim, perſeuerem ſine peccato. Sic enim docebo iniquos vias tuas, quæ ſunt mandata tua, & impij ad te conuertentur, & bene viuent, ad honorem, & laudem, & gloriam tuam, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde ſurgat cum timore, ac tremore, non quærens quæ ſua ſunt, ſed ſitiens aĩarum ſalutem; & accedens ad pc̃tõrem, ſuſcipiat eũ alacri grauitate; nè ſi ſe ſtatim rigidum oſtendat, terreat ipſum, atque perturbet. Debet namq; confeſſor eſſe dulcis, & affabilis, atq; miſericors ad aĩandum pc̃tõrem, vt aperiat ei oĩa vulnera ſua, ſciẽs quòd opus eſt in hac parte magna vti prudẽtĩa; ſed vnctio Spiritus ſancti docet de omnibus. Suſcepto igitur peccatore, ſi non decenter ſe hẽt in genuflexione, & alijs exterioribus ad talem actum requiſitis, debet primùm monere ipſum dulciter, ac inſtruere, qualiter Deo, & non homini confitetur; & ideò debet reuerenter, ac verecundè ſe habere cum omni humilitate, verſa facie, non ad confeſſoris vultum, ſed taliter, quòd ad latus confeſſoris, & genibus ambobus flexis, faciem vertat ad reclinatorium ipſius: & maximè in hoc adhibenda eſt cautela circa mulieres. Diſpoſito ergo prædictore corporaliter, doceat eum (ſi neſcit) facere ſibi ſignum crucis: quod fieri debet hoc modo. Primò manum dexteram ponat ſuper frontem,

Digitized by Google

& dicat; In nomine patris; quia pater eſt principium totius deitatis (vt dicit Auguſt.) Deinde ſuper vmbilicum, & dicat: Et filij, quia filius æternaliter procedens à patre deſcendit tẽporaliter in ventrẽ Virginis. Deinde ponat manum ad ſcapulã ſiniſtram, trahens illã ad dextrã dicendo: Et ſpiritus ſancti; quia Spiritus ſanctus procedit vt amor, & eſt tanquam nexus patris, & filij ab vtroque procedens. Et nos à ſiniſtra, ideſt à tribulationibus huius mundi, tranſire ſperamus ad dexteram æternæ fœlicitatis. Deinde eleuata manu dicat: (Amen) ideſt fiat. Poſt hoc autem faciat, ꝙ peccator confiteatur in generali peccata ſua dicendo (Confiteor) pro vt dicitur in Miſſa. Quòd ſi ignarus eſt, faciat ſecum dicere confeſſor vulgari ſermone, hoc modo. *Io confeſſo à Dio onnipotente & alla Glorioſa Vergine Maria madre di Dio, & à tutti i Sãti, & Sante, & à voi padre, che io hò peccato in mal penſare, in mal parlare, in mal operare, et in molte omiſsioni; & di tutti i mei peccati dico mia colpa, & prego Dio che mi perdoni: & voi padre, che mi aſcoltiate, e che me diate l'aſsolutione, & la penitenza.* Poſthæc, ſi non cognoſcit conditionẽ eius, interroget eũ de ſtatu ſuo, puta ſi eſt coniugatus vel cõiugata, cuius ſit exercitij, vel artis: ſi hẽt filios, vel nõ &c. ex quibus poſſit eum conuenienter interrogare. N. Non.n. ſunt oĩa ab oĩbus interroganda, & maximè adhiben-

da eſt cautela circa iuuenculas, & circa ſimplices pueros, ne doceamus eos ea, quę neſciũt. Itẽ interrogandum eſt quantum tps eſt, ex quo non eſt confeſſus, quia vnuſquiſq; noſtrum ſaltẽ ſemel in anno, cũ ad annos diſcretionis peruenerit, confiteri, & cõionem accipere tenetur. Quod ſi non fecit, mortaliter peccauit, & toties quoties propoſuit non facere deliberato aĩo, etiam mortaliter peccauit. Annos autem diſcretionis maxime quoad communionẽ, incipimus ſcd̃m S. Tho. à 10. vel 11. anno, & plus, & minus, ſecundum quòd malitia ſupplet ætatem. Cum.n. ſciunt diſcernere inter ſacramentum altaris & panem, quo quotidie veſcimur, oſtendunt ad ipſum aliqua ſigna deuotionis, ſignum eſt eos ad annos diſcretionis huiuſmodi peruenisſe: & in hoc ſtandum erit iudicio eorum, qui curam aĩæ eius hẽt: pueri tamen, vel puellæ qui poſt annos diſcretionis non fuerunt de hoc inſtructi, non ſunt facile cõdemnandi de pc̃tõ mortali, quamuis ſint acriter reprehendendi. Interrogandus eſt etiam peccator, ſi in vltima confeſſione malitioſè tacuit aliquod peccatum mortale, vel quod credidit eſſe mortale; quia peccauit mortaliter, violando ſacramentum pęnitentiæ, cùm abſolutio facta ſit propter eius malitiam, ſuper indebita materia, & indiſpoſita; & ideò tenetur iterare confeſſionem illam, & omnes præcedentes confeſſiones ſic imperfectas, quia in

illis,

illis, quas hoc modo fecit, non fuit verè Sacramentum pęnitentiæ. Interrogandus eſt ēt, ſi fecit pęnitentiam à ſacerdote impoſitam pro peccatis mortalibus confeſſis, quia ſi non fecit eam ex dolo, peccauit, & tenetur eam facere, ſi habet eā in memoria, ꝙ ſi nō habet eā in memoria, tenetur iterare cōfeſſionem ſecundū opinionem magis cōem; quia Sacramentum pęnitentię ſine ſatisfactione nō habet vltimā ſuā perfectionē, eò, ꝙ vna pars deficit ei. Confeſſor tamē poſſet eam cōmutare, ſi haberet eā in memoria, dummodo non fuiſſet data ſibi à ſuperiori, puta ab Epō. propter peccata, & caſus, à quib. ipſe, vel alius inferior non poſſet abſoluere. Interrogandus eſt etiā peccator, ſi eſt excōicatus aliqua excōicatione maiori, vel minori, quia ſi ſit, debet prius abſolui ab eis, quàm à peccatis, eo ꝙ excōicatus nō eſt participes Sacramentorū; excōicatio. n. eſt excluſio à ſacramentis, communioneq; fidelium. Et hoc tene, licèt quidā ignoranter contrarium dicant, neſcientes diſtinguere inter pęnitentiā, quæ eſt virtus, quā quilibet excōicatus poteſt habere; & pęnitentiā, quę eſt Sacramentum, ꝗ nullus excōicatus poteſt ſuſcipere. Si autem nō poteſt eum ab excōmunicatione abſoluere, mittat ad ſuperiorem, qui poſſit ipſum abſoluere, antequam eum audiat, vel abſoluat à peccatis: vel à ſuperiore habeat licentiam abſoluendi; & cum primò abſoluat ab ex-

communicatione. Excōicationes autem ſubiungemus in breuitate, quas tamen debent confeſſores in fonte videre, propter dubia, q̃ ſæpe mouentur in tali materia. Nō autem oportet quẽlibet interrogare de omnibus; ſed iuxta conditionẽ cuiuſlibet oportet interrogationes formare.

EXCOMMVNICATIONES Bullæ Cęnæ Domini, lectæ anno ſexto Pontific. Dom. No. Papæ Dom. Gregorij xiij. MDLXXVIII.

HI excommunicationis caſus, qui ſequuntur, ex Bulla ipſa ſummatim, breuitérque ordine deſcripti ſunt; ſi tamen caſus eiuſmodi inciderit, qui dubius ſit, & ancipitem abſoluẽdi curam afferat, vt certa ſit, & explorata illius ratio, Bullæ ipſius & verba, & ſententiam ſpectari, diligenterq; perpendi oportebit.

Indicta Bulla in Cœna Domini, excommunicantur, & anathematizantur.

HÆretici, Schiſmatici, eorum fautores, defenſores; qui illos itẽ recipiũt, qui eiſdẽ credũt.

Qui ab Apoſtolicæ ſedis obedientia recedunt.

Qui hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes ſcienter quouis modo defendunt, tenent, legunt, aut imprimunt.

Qui appellant à Papa ad futurum Concilium quique auxilium, aut fauorem præſtant.

Piratæ, eorum fautores, receptatores, qui item eis auxi-

auxilium dant, ídque ſcienter.

Qui naufragium facientium bona rapiunt, accipiúntue, aut ab alijs rapta, acceptàue, capiunt.

Qui nouas gabellas, ſeu pedagia, ad id poteſtatem non habentes, imponunt, vel prohibita exigũt.

Qui litteras apoſtolicas, aut ſupplicationes à quouis authoritaté hãbente ſignatas adulterauerint.

Qui equos, arma, ferrũ: rèſque alias omnes prohibitas, ad infidelium regiones, prouinciàſue important.

Qui ipſos infideles certiores faciunt de rebus ad ſtatum Chriſtianæ religionis pertinentibus, aut qui eis conſilium, auxilium, & fauorem dant.

Qui inuadunt, impediunt, & perturbãt eos, qui ad vrbem Romam portant res ad victum, & vſum Rom. Curiæ neceſſarias.

Quíue defendunt, vel talia fieri faciunt.

Qui Romam cauſà deuotionis, aut peregrinationis euntes, & omnes ad ſedé Apoſt. accedentes, vel apud eam morantes, vel ab ipſa recedentes, ex propoſito quomodolibet offendunt, vel conſilium, auxilium, aut fauorem dant.

Qui ſine iuriſdictione vexant morantes in Curia Rom. & qui talia fieri mandant.

Qui S.R.E. Cardinales, Prælatóſque, ſedíſque Apoſt. legatos, aut Nuntios offendunt, aut hoſtiliter perſequuntur, aut à ſuis diçceſib. territorijs, ſeu dñijs eijciunt, eaq; mandant, vel rata habẽt, ſeu conſilium, auxilium, aut fauorem præſtant.

Qui

Digitized by Google

Qui per ſe, per aliumúe offendunt eos, qui negotiorum ſuorum cauſa ad Cur. Rom. cófugiunt.

Qui item lędunt illos, qui in eadem Curia ſuas cauſas agunt eorumue iudices, aduocatos, procuratores, negotiorumue geſtores, & item qui per ſe, vel alium quomodocunq; prædicta exequi procurant, vel in eiſdem conſilium, fauorem, vel auxilium non verentur (cuiuſcunque ſint præeminentiæ) præſtare.

Qui prohibent, quominus litteræ Apoſtol. citationes, mandata, & alia eiuſmodi, quæ à ſede Apoſtol. legatis nuntijs ipſius, aut alijs ſedis & Cameræ Apoſt. officialibus emanant, executioni demandentur, ſine eorum conſenſu, vel examine, & forſan certo pretio ſoluto, quíue impediri procurant.

Qui eorum ipſorum, à Sede Apoſtolica quouis nomine emanantium, executores capiunt, detinét, capíue, aut detineri mandant.

Qui vetant, ne litteris, & mandatis Sedis Apoſt. pareatur, niſi impetrato antè eorum conceſſu.

Qui prohibent, nè notarij de earum litterarum, & mandatorum executione inſtrumenta, actaue conficiant, aut confecta eis tradant, quorum intereſt.

Qui quouis modo prohibent, ne qui ob cauſas ſuas agendas, aut ob gratias, litteráſue impetrandas, ad Cur. Romanam confugiant, neue litteras ipſas à Sede Apoſtol. impetrent, impe-

impetratiſue vtantur.

Quiue eas ipſas litteras apud ſe, aut apud alium retinere audent.

Qui homines eccleſiaſticos, Eccleſiarum collegia, aut conuentus in fori ſui iudicium trahunt, trahiue iubēt; aut quouis modo procurant præter iuris præſcriptum.

Qui ſtatuta, conſtitutiones, aut decreta quęuis alia faciunt, quibus Eccleſiaſt. libertas quouis modo tollitur, læditur, imminuiturúe, ſeu ſedis Apoſtol. iuri quoquomodo præiudicatur.

Qui impediunt ordinarios, nè ſua iuriſdictione contra quoſcunque vtantur.

Qui eccleſiaſtica bona vſurpant, ſurripiūt, & abſq; ſedis Apoſtolicæ permiſſu ſequeſtrant.

Qui decimas, aut vectigalia quæcunque hominibus Eccleſiaſticis imponunt; taliaque ab eis exigunt, exigiue procurant; aut à ſponte dante accipiunt, aut in eiſdē aſſensū, auxiliúmue pręſtant.

Laici, qui in cauſis capitalibus, criminalibúſue, contra homines Eccleſiaſticos ſe quouiſmodo intromittunt.

Officiales laici, & prælati item, qui beneficiales, & ſpirituales cauſas ſpiritualibúſque annexas ab Apoſtolicis, & Eccleſiaſt. iudicibus auocant.

Qui quauis auctoritate litterarum, & mādatorum apoſtolicorum executionem, & eos item impediunt, qui ipſas cauſas exequi voluerint, ac ſe de illarum cognitione tanquam iudices interpo-

ponunt.

Qui ſtatuunt, compellúntue, vt qui litteras à ſede Apoſt. impetrauerint, eas reuocent, efficiúntque vt reuocentur, & qui illarum litterarum virtute cenſuris irretiti ſunt, eis abſoluantur.

Qui terras, ſeu iura Eccl. Romana quouis modo occupant, vel inuadunt, aut occupare, inuaderéue audent.

Qui in dictis terris ſupremam iuriſdictionem Papæ competentē de facto vſurpant, & retinent.

Quíue occupantibus, vel inuadentibus auxilium, fauorem, & conſilium dant.

Qui bona palatij Apoſtolici rapiūt, vel rapta ſcienter quauis cauſa tenent.

Qui contra pręſcriptum Bullæ peccantes abſoluere temerè auſi fuerint, niſi in articulo mortis; & tunc præſtita cautione de ſtando S. R. E. mandato, vel ſatisfaciendo, &c. & hactenus de reſeruatis in Bulla cœnæ Domini, in qua fuſius hæc videbuntur.

Notanda ab omnibus confeſſoribus.

ADuertendum eſt etiā, quòd Papa in hac Bulla, hortatur omnes curam animarum habentes, & confeſſores hanc ponens ſe habere, & eam diligenter legere, & examinare.

Et quia quotannis ea poſſet innouari, curandum eſt, vt ſingulis annis ab ordinarijs locorum,

vel

Digitized by Google

vel alia via inquiratur, an aliquid innouatum fuerit in ea, necne.

Sciēdum eſt autem, ſingulos curatores animarum quotannis teneri ad publicationem Bullę in Cęna Domini, ſub pœna peccati mort. Poſtremò ſciendum eſt nihil omnino obſtare contra ſententias contentas in dicta Bulla Cęnæ Domini, nullúmq; priuilegium valere cōtra hanc Bullā.

Excommunicationes reſeruatæ Papæ, extra Bullam Cœnæ.

Ex decreto,& decretalibus.

QVI ſuadente Diabolo manus violentas in clericum,vel monachatum infert. ca. ſi quis ſuadente, 17.q.4.

Quíue huic rei conſilium dat,aut aſſentitur,c.mulieres.de ſent.excom.

Excommunicati à delegato Papæ, peracto tempore ſuæ iuriſdictionis,non poſſunt ab ipſo abſolui, ſed tantùm à Papa: cap. ſtuduiſti, de off. legati, & cap. ſanè.de off.deleg.

Tenētes litteras apoſtolicas falſas, ſi Epiſcopus tulit contra tales excommunicationem, niſi intra viginti dies eas deſtruxerint, vel non reſignarint, abſoluuntur tantùm à Papa. cap. Dura. de crimin.falſ.

Clerici ſcienter, & ſponte in diuinis participantes cum excommunicatis, nominatim à Papa. cap. ſignificauit, de ſent.excom.

Scien-

Scienter in crimine criminoſo cōicantes cum eo, qui nominatim excōicatus eſt à Papa, cōſilium, auxilium, vel fauorem illi dando. cap. nuper. de ſentent. excomm. & cap. ſi concubinæ. eod. tit.
Incendiarij post excōmunicationem in eos latam, & denunciatam, à Papa tantùm abſoluuntur, cap. tua. de ſentent. excom.
Sacrilegi effringentes & ſpoliantes Eccleſias, cap. conqueſtus, de ſent. excom.

Ex ſexto Decretalium.

ELigentes in ſenatorem Romanum aliquē Imperatorem, Regem, comitem, aut aliū pro-
cerem, vel fratrem, aut filium dictorum, & huiuſmodi electos ſine conſenſu Papæ, ſe in illud intrudentes, obtemperantes, & præbentes auxilium: cap. fundamenta, de elect.
Qui nullo ſedis Apoſt. conceſſu, aſſentiunt nominationi, & electioni ſenatoris vrbis Romæ, aut eius gubernat. & præfecti, eod. c. & tit.
Hoſtiliter inſequentes, percutientes, vel capientes S. R. E. Cardinales; item conſilium, auxiliū, vel fauorem dantes, & c. c. felicis, de pęnis; quę conſtitutio per Pium V. extēditur ad ſciētes quodlibet crimen in ipſos Card. commiſſum, vel committendum, & non reuelantes illud opportunè Papæ, vel ordinario: in ſuis conſtit. fol. 150. ſed nemini eius abſolutionem reſeruat.
Qui facultatem tribuerint alicui interficiendi, ca-

pien-

piendi, aut vexandi perſonas aliquorum, aut eorum facultates, aut ſuorum, eo quòd tulerũt ſententiam excõmunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti contra Reges, & quoſcunque alios, & miniſtros eorum, aut illos, quorum ratione huiuſmodi ſententiæ promulgatæ fuerũt; aut eos, qui obſeruant; aut qui nolunt cõmunicare cum ſic excommunicatis, niſi antequam dicta facultas executioni mandetur, fuerit reuocata ab eis; aut ſi eius occaſione iam ſunt occupata bona, & intra ſeptem dies non reſtituant aut ſatisfaciant; excommunicat etiam eos, qui vſi fuerint tali facultate, aut proprio motu fecerit aliquid ex prædictis; & ſi duobus menſibus perſeuerauerint in dicta excommunicatione, non poſſunt abſolui niſi à Papa, c. quicunque de ſent. excom.

Ex Clementinis.

QVI iniurioſè, vel temerè aliquem Epiſcopum percuſſerit, cœperit, vel bãniuerit, vel fieri mandauerit, aut facta ab alijs rata habuerit, vel conſilium, auxilium, vel fauorem dederit c. ſi quis, de pen. nunc facta eſt Bullæ Cęnæ.

Inquiſitores, & eorum miniſtri, odio, gratia, vel quæſtu, aliòue commodo ducti, qui in hæreticis inquirendis negligentes ſunt, vel falſo hęreſim imponunt, c. multorũ, in §. verum, de hæret.

Religioſi ſine licentia expreſſa parochi præſumentes miniſtrare ſacramenta extremæ vnctionis, & Eu-

& Euchariſtiæ, aut benedicere nuptias, aut abſoluere excõmunicatos à canone prçterquàm in caſib. à iure, vel priuilegijs apoſtolicis ſibi conceſſis, aut à ſentẽtijs promulgatis à ſtatutis Prouincialibus, vel ſynodalibus, aut à peccatis, à pęna, & culpa. c. Religioſi. de priuilegijs.

Religioſi, & clerici ſeculares inducentes homines ad vouendum, & promittendum, vt in ſuis Eccleſijs ſepulturas eligant, vel iam electas ne mutent. c. cupientes. de pęnis.

Prohibentes, quominus publicè excommunicati & interdicti de Eccleſia exeant, dum Miſſa, & officia diuina celebrantur, ſi eis à celebrantibus nominatim denunciatum ſit, vt de Eccleſia abeant. c. grege. de ſent. excom.

Excommunicati, interdictiue publicè à ſacerdote, moniti nominatim, vt exeant de Eccleſia tempore Miſſæ, & officiorum diuinorum, & parere nolentes. c. & tit. eiſdem.

Principes, & illuſtres viri, qui in locis interdictis cogunt mediatè, vel immediatè aliquem ſacerdotem celebrare officia diuina: ibid.

In extrauagantibus, & Concilijs Generalibus.

Corpus mortuum in fruſta incidentes, & in aqua coquentes, vt oſſa ſeparent à carnib. & ſepeliant & in alio loco: qui hoc fieri iubent. Bonif. 8. in extrauag. de ſepult.

Interdictũ ab Apoſt. ſede ꝓmulgatũ violãtes; Six. 4. in extrauag. & ſi dominici. de pęnit. & remiſ.

Con-

Digitized by Google

Conſpirantes in perſonam Roma. Pontif. ibid. Six.4.& Innocen.8.

Dantes & recipientes quomodocunq; aliquid ſimo. in ordine ſuſcipiendo, vel beneficio conſequendo,& mediatores.Six.4.ibid.& Paul.2.in extrauagan.cum deteſtabile.de ſimo.Mart.v. in cōc. conſtit.cap.multæ,& Pius V.extrauagan.Cùm primum,in ſuis conſtitut.

Dantes & accipientes aliquid pro ingreſſu religionis,extrauag.1.de ſimo. c.ſanè : ſed notandum quod Clemens 7. concedit monialibus, vt non incurrant hanc excommunicationem propter pacta, & cōuentiones, quas faciunt de dotibus monaliū recipiendarum in commodum earum victum.

Religioſi mendicantes tranſeuntes ad ordinem non mendicantium licentia à Papa prius non impetrata (excepto ordine Cartuſiæ, quæ omnium religionum, & ordinum perfectior, arctior, & ſtrictior eſt) & eos admittentes.Mart. V.de regul. in extrauag. viam ambitioſæ.

Qui Card.& aliorum in conclaui exiſtentiū,vel etiam ipſius electi in Papā,domos, res & bona violenter inuadere,recipere,occupare,& tranſportare præſumunt,& conſilium,auxilium, fauorēq; præſtantes ad hoc. conc. Conſt. ſeſſ.41. c.omnis ætas.

Confeſſores qui abſoluunt excommunicatos à caſibus, & cenſuris in extrauag. Six. 4. reſeruatis, quæ incipit, & ſi dominici.de pœni.

Qui dicunt peccare mortaliter eos, qui credunt

Virginem Mariam eſſe conceptam in peccato originali, & è contra. Six. 4. in extrauagan. Graue nimis, & Conc. Trid. in fine decreti de peccato originali. ſeſſ. 5. & Pius V. in ſuis conſtit. in extrauagan. ſuper Specula.

Item, qui libros, in quibus hoc aſſeritur, pro veris legere, tenere, & habere auſi fuerint ibi.

Cardinales ſede vacante conſtitutioni de electione Rom. Pontif. faciendæ ſine ſimonia contra venientes. Iulius 2. in Conc. Later. Seſſ. 5. quæ incipit, cùm tam diuino.

Ingredientes monaſteria monialium ordinis minorum, & prædicatorum, in caſib. non conceſſis. Bonif. 9 & Eug. 4. in priuilegijs dominicanorum ordin.

Libellos famoſos aliaue ſcripta contra ſtatum ordinis Minorum & Prædic. facientes, componentes, & habentes, ac in lucem emittentes ibid.

Præſumentes prædicare, docere, ac defendere prædictos religioſos non eſſe in ſtatu perfectionis, vel non licere eis viuere de eleemoſynis, nec prædicare, nec audire confeſſiones cum licentia Papæ, ſine conſenſu aliorum prælatorum inferiorum, & violentiam exercentes in loca ipſorum; & palam vel occulte eijcere ſtudentes de conſortio vniuerſitatis Pariſienſis, & eorundem ordinum, apoſtatas in eccleſijs, & monaſterijs ſuis detinentes, niſi illos eiecerint, poſtquam ipſis denunciatũ fuit à fratribus eorum ordinum, & fratres mino-

res

res recipientes ordin. prædic. profeſſos ſine licentia Papæ aut prioris ſui petita & obtenta. ibid. & idem quo ad Eremitanos in hoc poſtremo.

Ad ſepulchrum Domini in Hieruſalem euntes ſine licentia Papæ, S. Ant. par. 3. tit. 25. ca. 30. refert hoc omne in lib. pœnitentiariæ.

Cardinales reuelantes aliquid de ſecretò actis in conciſtorio Papæ præceptum ſpetiatim, & expreſſe, vt id maneret ſecretum. Leo. x. in Concil. Later. Seſſ. 9.

Qui in ſermonibus, & prędicationibus miracula falſa, vel incerta, vel prophetias in Biblia non contentas recitant.

Et Prælatis, Epis & ſuperiorib. eorumq; ſtatui intẽperanter in eiſdem prædicationibus detrahentes, & ſenſum ſcripturæ contrarium & diſſonum ſectantes. Leo. x. in eod. conc. ſeſ. xj. & eis ibi perpetuò interdicitur officium prædicationis.

Miniſtri Papæ & omnes officiales etiam Epiſcopali dignitate fulgentes (præter Cardinales) in terris Eccleſiæ exercẽtes officium quodcumq;, qui accipiunt munera, præter comeſtibilia, & potabilia, quæ biduo conſumi poſſunt, & ſimiliter dantes, quod etiam tenentur reſtituere. Pau. 2. in extrauagant. munera.

Pragmatica, ſeu potius corruptela in Conc. Later. irritata vtentes, ſecundum eam iudicantes, id permittentes, aut fieri mandantes, aut eam tenentes, & eam non delentes Leo. x. ibid. ſeſſ. xj.

Digitized by Google

Omnes etiam Imperiali dignitate fulgẽtes, qui alicuius eccleſiæ,ſeu beneficij tam regularis,quàm ſecularis,montium pietatis, aliorumq; piorum locorum iuriſdictiones,bona, cenſus ac iura, fructus emolumenta, & quaſcunque obuentiones per ſe, vel per alios quocunq; modo & colore ac arte in proprios vſus conuer. & vſurpare præſumunt,ſeu impedire,ne ab ijs,ad quos iure pertinẽt,percipiãtur. Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. 11. Quòd ſi eiuſdem eccleſiæ patronus fuerit etiam iure patronatus vltra excommunicationem prędictam, eſt ipſo facto priuatus: clerici autem prædicta facientes, aut eis conſentientes vltra dictas pœnas etiam omnibus beneficijs priuati exiſtunt, ibid.

Non reddentes computa in camera Apoſtolica integraliter. Paul. 3. in extrauagan. cum ſicut. & Greg. 3. in Bulla decimarum.

Qui viuente Papa tractant de nouo Papa eligendo, vel tentant, quique per ſe vel per alium in prædictis dederint conſilium, auxilium, vel fauorem ſeu operam quolibet modo, mediatores, proxenetæ, nuntij, mandatarij, procuratores, aut trapezitæ in prædictis. Paul. 4. in extrauagan. cum ſecundum.

Pugnantes in duello & Domini aliique (exceptis Regibus) dantes eis campum, eiſque auxiliũ præſtantes, duellóque intereſſentes, diffidationes facientes, ad id irritantes, ſeu prouocantes, & auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, & qui char

tas

tas ſubſcribunt, publicant, ſeu de illis ſe intromittunt. Pius. 4. in extrauag. ea quæ. vbi confirmat ad hunc effectum extrauag. Clem. 7. Iulij. 2. & Leo. decimi.

Omnes Epiſcopis inferiores, quibus de parochialibus eccleſijs, perpetuis vicarijs, aut alijs beneficijs curatis à Papa prouiſum fuerit, non adimplentes promiſſa, iuramentum, ſcilicet fideiuſ. ſeu obliga. de reſidēdo intra expreſſum tempus, etiam ſi in aliorum intruſorum, vel poſſeſſorum fauorem ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis huiuſmodi reſignauerint, ſeu ceſſerint, aut illa quouis modo etiam occaſione litis & moleſtiæ dimiſerint, nec non etiam illi, in quorum fauorem beneficia ipſa ſic reſignarint, ceſſerint & dimiſerint & omnes ad id conſilium, auxilium, vel fauorem directe, vel indirecte ſcienter, præſtantes. Pius 4. in extrauag. inter multiplices.

Præſumentes impedire, prohibere, aut moleſtare perſonas, quæ de iure communi religionem ingredi non prohibentur ex ſeculo fugientes, & ad conſeruationem monachorum S. Benedicti ordinis montis Oliueti venire cupientes, ne ſuum propoſitum effectualiter compleant, aut à monaſterijs, lociſque ipſorum monachorum euellere, ſeu extrahere, vel ipſis monaſterijs, aut recipientibus iniuriam aliquam inferre, Iul. 2. in Bulla dicto ordini conceſſa, quæ incipit. Et ſi ad vniuerſas, quod etiam ad alios plures ordines extenditur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tur per eorum priuilegia.

Clauſtrales recipientes, aut habitum ſuæ religionis dantes fratribus S. Franciſci de Paula profeſſis ſine licentia Papæ & eorum Generalis, quod etiam ad accipientes habitum extenditur. Iul. 2. virtute conſpicuos, & ſacer ordo. Et Leo. X. in Breui. Quamuis aliàs. Et Paul. 3. ſincerè deuotionis.

Tertiarij, heremitæ, mulieres, alijq; religioſi portantes habitum fratrum S. Franciſci de Paula. Leo. X. in Breui, licet aliàs.

Fratres minimi S. Franciſci de Paula profeſſi, qui ſubtrahentes ſe ab obedientia ſuorum prælatorum poſt terminum eis à Correctoribus monentibus præfixum caputium longum, prout ſolent viuentes in dicta religione, deferunt. Paul. 3. in Bulla, cum ſicut.

Fratres ordin. mino. de obſeruantia, qui in quibuſuis electionibus, & ante eas per ſex menſes pro ſe, vel pro alio ſubornauerint, ſubornati quoq; vel alij, pro quibus ſubornatio fiet, qui ſubornantem non detulerint. Pius V. in Bulla, paſtoralis officij.

Prędicti fratres de obſeruan. qui ad officium obtinendum quorumuis fauorem extra religionem procurauerint. Pius V. ibidem.

Prouidentes alijs de beneficijs Eccleſiaſticis & aliquid inde capientes, vel ſibi promitti facientes directe, & illi qui nuntiant, ſeu noua portant, &c. Greg. xj. in extrauagan. quæ incipit ſollicite.

Ban-

Bannientes, proſcribenteſq; clericos & perſonas eccleſiaſticas, & tales proſcriptiones ſcribentes. Vrban. 6. in extrauag. Quia ſicut.

Ordinarij locorum, officiales, delegati, aut commiſſarij, qui contra ſibi ſubditos inſiſtentes in ſeruitio Papæ, vel Romæ moram trahentes pro ſuis negocijs aut ab ea recedentes procedunt per cenſuras. Eug. 4. in extrauag. In eminentis.

Recipientes beneficia prædictorum dum moram trahunt Romæ pro ſuis negotijs, quibus beneficijs, dum illa faciunt, à prædictis priuati fuerunt. Eug. 4. ibid.

Fingentes ſe nepotes Cardinalium aut aſſiſtentium familiares commenſales vt litteras apoſtolicas gratis expediant. Innocent. 8. in extrauagan. cum ſicut.

Eccleſias & beneficia eccleſiaſtica quæcunque in confidentiam retinentes ſeu recipientes expreſsè; ſiue occultè. Pius 4. Romanum Pontif. & Pius V. intolerabilis.

Regentes, correctores, ſcriptores, procuratores, reuiſores, ſigillatores, & alij ſacræ pœnitentiariæ officiales interdicta eis per bullam Pij 4. expedientes, aut concedentes. Pius 4. in ſublimi. Ibidem ſtatuitur de officialibus officij Correctoris cancellariæ, & contradictarum. Idem in extrauag. vniuerſis.

Moniales exeuntes de clauſura (quæ extenditur vſque ad portam exteriorem per declaratio-

nem Greg.xiij.) dantes eis licentiam, comitantes eas,& receptantes, Pius V. Decori.

Mulieres etiam Duciſſæ ingredientes (poſt habitam notitiam huius prohibitionis) aliquod monaſterium cuiuslibet ordinis Regularium; Regulares autem introducentes & admittentes prædictas mulieres ſunt ipſo facto ſuſpenſi à diuinis, & priuati officijs, quæ tunc obtinent, & inhabiles ad illa & alia omnia obtinenda ſine alia declaratione ſecutura. Pius V.in conſt. Regularium.

Officiales officij ſacræ pœnitentiariæ accipientes aliquid etiam ſponte oblatum à partibus, aut aliàs ſiue pro expeditionis celeritate, ſiue pro alio extraordinario labore tam procurando quàm ſcribendo recognoſcendo, & examinando. Pius V. In omnibus.

Perſonæ accipientes priuilegio vel conſuetudine aliquid ex fructibus primi vel vlterioris anni beneficij vacantis. Epiſcopi ſuſpenduntur à Papa tantummodo abſoluendi, capitula autẽ & collegia incurrunt interdictum, non tamen includit loca pia. Pius. Quint. in extrauag. Durum nimis.

Omnes Epiſcopis inferiores proponentes populo indicem caſuum, & gratiarum cum indulgentijs, ita quod ſoluta quadam determinata pecunia poſſint ſibi ſumere ſacerdotem, qui eos abſoluat à caſibus Epiſcopalibus & quibuſdam alijs. Epiſcopi autem incurrunt ſuſpenſionem ab

in-

ingreſſu eccleſiæ,& perceptione fructuum ad beneplacitum Papæ Pius. V. in extrauagant. Quam plenum.

Omnes & ſinguli cuiusvis gradus, ordinis, & conditionis, qui, cum vacauerint, aliquis ſtatus, locus, terra, caſtrum, & huiuſmodi ad eccleſiam Romanam pertinentia, auſi fuerint loqui cum aliquo vel in communitate, vel etiam cum Papa de ſubijciendis prædictis locis & terris alteri feudatario, etiam nepotibus ipſis Papæ. Pius V. & Greg. xiij.

Legati etiam de latere, gubernatores, & officiales ſtatus eccleſiaſtici, qui aliquem homicidam ſeu bannitum auſi fuerint ad ciuitatem, vel diſtrictum reuocare, vel eis ſaluum conductum facere etiam ad diem vnum, vel noctem vnam. Pius 2. & Pius 5. in extrauagant. ex ſupernæ.

Barones, domini, Domicelli, ac ciues Rom. aliique omnes mediate vel immediate ſubiecti ſedi Apoſt. qui homicidas, aut alios bannitos, & facinoroſos homines eidem ſedi ſubiectos in ſuis terris præſumpſerint receptare, Pius V. ibid.

Omnes prædicti, qui in vrbe Roma vel eius diſtrictu propter vindictam exercendam, domum, communitam habuerint, armatos receptauerint, aut tenuerint, vel adhęrentes, & complices, & fautores brigæ acceſſierint, ſiue quamcunq; conuentionem, congregationem, & hominum collectam huiuſmodi ad vltionem iniuriæ inuocare, excitare, inuitare, vel receptare per ſe, vel per alium præ-

ſum-

ſumpſerint. Paulus 2. & Pius 5. ibid.

Domini ſubditis ſedis Apoſt. qui in eius diſtrictu propter vindicandam ſuam, amici, vel propinqui iniuriam vulnerare, mutilare, occidere, vel quouis modo realiter, vel perſonaliter offendere patrem, aut filium, fratrem, propinquum, amicum, vel domeſticum offendentis, vel aliàs fieri facere vel mandare præſumunt. Paul. 2. & Pius Quint. vt ſupra.

Proceres, aliiq; Domini, ſeu vicarij in temporalibus Regni Siciliæ citra Pharum, & aliarum partium Rom. Eccleſiæ ſubiectarum, aut vrbi adiacentium, qui homicidas, & bannitos Roman. Eccleſ. auſi fuerint receptare, vel protegere, vel eis auxilium, conſilium, vel fauorem dare, quouis quæſito colore, Pius 2. Paulus 2. Six. 4. Iul. 2. Leo. X. Clemen. 6. Pius 4. & Pius 5.

Christianos habitãtes in terris occupatis à Turcis capientes in ſeruos, & nolentes eos dimittere cum bonis ſuis Pius 5. in extrauag. licet omnibus. conſtit. ſuarum. fol. 232.

Ingredientes Monaſteria monialium cuiuſuis ordinis ſine cauſa neceſſaria, etiam ſi habeant licentiam ab Epiſcopis locorum. Greg. xiij. quæ excommunicatio hic reſeruatur papæ, licet in Conc. Trid. nemini reſeruetur.

Admonitio.

Epiſcopi omnes à ſupradictis cenſuris ſi ſint occultæ poſſunt quoſcunque ſibi ſubditos in

foro

Digitized by Google

foro conſcientiæ duntaxat gratis abſoluere per ſe ipſos, aut vicarium ad id ſpecialiter deputandum.

In hæreſis autem crimine occulto hoc idem licet ſolis epiſcopis, & non vicario. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Ref. cap. 6. cui Decreto non derogatur per bullam Cœnæ, vt diſerte aſſerit Nauar. in ſuo Man. conf. c. 27. num. 272.

In articulo mortis etiam omnis ſacerdos etiam non approbatus ab ordinario quoslibet pœnitentes à quibuslibet cenſuris & peccatis quantumcunque reſeruatis abſoluere poteſt. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.

Aduerte etiam, quòd omnis ignorantia niſi ſit craſſa & ſupina excuſat hominem & facit eũ non incurrere quaſuis cenſuras, licet etiam opus propter quod incurritur excommunicatio eſſet de ſe illicitum. de conſt. c. 2. lib. 6. decret. & Nauar. vbi ſup. eod. c. num. 16.

Excommunic. Epiſcopis de iure reſeruatæ.

MVlieres cuiuſcunque conditionis clericos vel monachos verberantes. capit. mulieres. de ſent. excommunicat.

Percutientes leuiter prædictos clericos, & monachos. cap. peruenit. de ſent. excom.

Omnes, qui iudicio Epiſcopi videntur non poſſe ad ſedem Apoſt. venire, Inn. 4. ſuper c. Quamuis. de ſenten. excom. vt pauper, infirmus, debilis

ſeruus,

ſeruus, & huiuſmodi, & hoc non tantum pro excommunicatione ob percuſſionem clerici, ſed etiam ob aliam quamcunque cenſuram Papæ reſeruatam, ſecundum Doctores canonum. Nauar. in Man. confeſſ. cap. 27. de cenſuris nu. 90.

Excommunicationes per ſynodalia, vel prouincialia decreta Epiſcopis reſeruatæ, quas neceſſariò noſſe debent confeſſores ſecundum omnes, arg. c. nuper. de ſent. excom.

Excommunicatio Papalis, cuius abſolutio ob aliquod iuſtum impedimentum conceditur inferiori, quia illam debet dare Epiſcopus, & nõ alius inferior. Innocent. in capitul. Monachi, de ſentent. excommunicat.

Scienter participantes excommunicato nominatim ab Epiſcopo in crimine, ob quod eſt excommunicatus, ſi illius excommunicati prius abſolutionem ſibi reſeruauit epiſcopus. c. Nuper. & cap. ſi concubinæ, de ſent. excom.

Abſolutus à ſede Apoſt. aut eius nuncijs præcipientibus, vt ſe præſentet ordinario, aut alijs iudicibus, quò exequatur eorum iuſſa, vel quò ſatiſfaciat læſis, vel ijs, ob quos fuerat excommunicatus, non faciens id quàm citò commode poteſt. c. eos. de ſent. excom. in 6.

Excom-

EXCOMMVNICATIONES
Nemini reſeruatæ de iure.

Ex Decreto, & Decretalibus.

PRincipes, & iudices qui ter admoniti negligunt clericis iuſtitiam facere. 23. quæſtio. 5. c. Adminiſtratores.

Qui de tertiæ partis Cardinalium nominatione confiſus, Papæ ſibi nomen vſurpat: & qui ipſum recipiunt, & qui à paucioribus, quàm à duabus partibus Cardinalium electus, gerit ſe pro Papa, niſi maior concordia intercesserit, c. licet. de elect.

Qui audent affirmare ordinationes ab Octauiano, & Guidone factas, ratas eſſe, capitul. 1. de ſchiſmatic.

Qui vſurpant epiſcopatum in ciuitate, Diœceſiue; vbi populi diuerſis linguis vtentes, varios ritus ſub vna fide habent, capit. Quoniam de offic. ordin.

Clerici, Monachiue, qui accipiunt officium vicecomitis, aut prępoſiti ſecularis, ſi moniti non reſipuerint. cap. clerici, ne clerici vel Monachi.

Religioſi extra clauſtrum, & alij clerici, quamlibet dignitatem, perſonatum, aut officium obtinentes, vt Archidiaconi, plebani, Decani, Præpoſiti, Cantores, & item pręsbyteri, qui leges, vel phyſicam audiunt, niſi infra duos menſes dicti religioſi

gioſi redierint; alij verò, niſi infra dictum tempus deſtiterint. cap. vlt. Ne cler. vel monachi.

Magiſtri, ſcholareſue, qui Bononiæ aliorum ſcholarium hoſpitia, durante locatione, conducunt, ſine eorum conſenſu. cap. 1. de locat.

Qui ſeruari faciunt ſtatuta edita & conſuetudines ſeu potius abuſiones introductas contra eccleſiaſticam libertatem, & item ſtatutarij, ſcriptores ſtatutorum, poteſtates, conſules, rectores, & Conſiliarij locorum vbi ea fuerint edita, vel ſeruata, ac etiam ſecundum ea præſumentes iudicare, & ſi qui in publica forma ſcribunt huiuſmodi iudicata. cap. Nouerit, de ſent. excom.

Ex ſexto decretalium.

DOmini temporales, vt Princeps, Senator, Cōſul, Poteſtas, & huiuſmodi, qui non obſeruauerint infra menſem. cap. Fœlicis, de pœnis, cum omnibus, quæ ibi continentur, contra offendentes. S.R.E. Cardinales, cap. eod.

Qui quempiam Chriſtianum per quoddam genus hominum, quos vocant aſſaſſinos, interfecerit, interficiue mandauerit, quamuis mors non ſequatur; Qui item eos receperint, & defenderint, occultauerintue, cap. pro humani. de hom.

Domini temporales, qui prohibent ne homines ſibi ſubiecti quippiam vendant, emant, aliave obſequia præſtent hominibus eccleſiaſticis. capit.

eos de immunit. Eccleſ.

Qui eccleſias, & homines eccleſiaſticos compulerint ad pedagia, & Guidagia ſoluenda. c. quamquam. de cenſibus & item, qui ea exigunt, vel extorquent per ſe, vel per alium ſuo nomine, vel alieno, cuiuſcunque ſint conditionis.

Qui regalia, cuſtodiam vel titulum aduocationis aut defenſionis in locis pijs vacantibus vſurpare conantes, bona eccleſiaſtica occupant. ca. generali. de elect.

Item clerici eccleſiarum, & Monachi monaſteriorum, qui hoc fieri procurant. ibidem.

Clerici qui locant domos manifeſtis vſurarijs ad fœnus exercendum in terris ſuis, cap. primo, de vſuris.

Qui per ſe, vel per alios, impediunt litigantes in foro eccleſiaſtico in cauſis, quæ de iure, vel conſuetudine ad dictum forum pertinent, & item, qui volentem litigare compellunt, aut compelli faciunt, vt ceſſet, aut id procurãt per ſe, vel per alios, aut ad id conſilium, auxilium, vel fauorem præſtant. De immun. eccle. cap. Quoniam.

Qui pignorationes ſeu repreſalias, aduerſus perſonas eccleſiaſticas, ſeu bona ipſorum, concedunt, vel extendunt; niſi infra menſem reuocauerint. cap. 1. de iniurijs.

Qui fictione, fraudéue vtuntur, vt iudex ipſe vadat ad mulierem pro teſtimonio. capit. Mulier. de iudic.

Vocati

Vocati ad dirigendas moniales in electionibus faciendis, neque abſtinent ab ijs, vnde in ipſis electionibus diſcordiæ oriri, nutririue poſſint. c. immediantibus, de elect.

Qui quaslibet perſonas eccleſiaſticas, ad quas ſpectat electio in monaſterijs, pijſue locis; aut eorum item conſanguineos quouis modo offenderint, eò quod eligere noluerint perſonã, ad cuius electionem inducebantur. c. ſciant cuncti. de elect.

Qui compellunt prælatos, eccleſiaſticóſue homines, vt eccleſias ſuas, earum prædia, iuraue laicis ſubijciant. capit. conſultiſſimè. de reb. eccleſ. non alienand.

Pars, quæ procurat vt de alijs, quàm de manifeſtis iniurijs, ſeu violentijs, conſeruatores ſe intromittant, vel ſuam oſtendant poteſtatem ad ea, quæ iudicialem indaginem requirunt, cap. hac conſtitutione, de offic. deleg.

Domini temporales, ſeu Rectores, vel officiales eorum, circa negotium inquiſitionis contra hæreticos, deficientes, & omnes, qui in hoc dederint conſilium, auxilium, vel fauorem. cap. vt inquiſitionis. de hæreticis.

Offendentes libertatem eccleſiaſticã quantum ad immunitatem à collectis, & exactionibus, & vſurpantes iuriſdictionem prælatorum, ſi tamen moniti non deſiſtant. capitu. non minus. De immun. eccleſ. & comprehenduntur etiam fautores. Succeſſores autem in officio elapſo menſe ſubiacent

cent excommunicationi, ſi ſatisfacere recuſauerint.

Qui in conclaue ſcriptum, nunciúmue, Cardinali cuipiam miſerit, aut ſecretò cum eo locutus ſit, cap. vbi periculum. de elect.

Domini Rectores, & alij Magiſtratus vrbis, oppidíue, vbi pontificis noui creatio tractatur, ſi diligenter, aut inuiolabiliter ea nō obſeruauerint, quæ ſibi eo in negocio commiſſa ſunt, ac, ſi fraudem commiſerint, cap. eod.

Qui non impetrata à ſummo Pont. facultate nouum religionis habitum aſſumunt, vota nuncupantes, ſimulq́; in communi viuentes, capit. vnico, de Relig. dom.

Sepelientes in loco ſacro hæreticos, credentes, receptatores, vel fautores eorum. De hæret. Quicunque.

Qui reuocationem excommunicationis, ſuſpéſionis, interdictiue, aut abſolutionem extorquent vi, vel metu, c. 1. de ijs, quæ vi, vel metu.

Doctores. qui leges, aut medicinam docent religioſos in ſcholis ſuis, eos retinentes depoſito eorum habitu. Item ijdem religioſi, qui non impetrata à ſuperioribus ſuis facultate, ad ſtudia quæuis ſe contulerunt. cap. 2. Ne cler. vel monachi.

Religioſi quicunque profeſſi taciti, vel expreſſi temerè dimittentes habitum ſuæ religionis. ibidem.

Digitized by Google

Ex Clementinis.

MOnachi, qui intra ſepta monaſterij, ſine Abbatum ſuorum licentia, arma tenent. cap. 1. De ſtatu monac.

Religioſi qui proferunt aliqua, vt audientes deterreant à ſolu.deci.cap.cupientes. de pœnis.

Religioſi item, qui ab officio prædicationis (quia confitentib. de ſoluendis decimis ſcienter poſt poſuerint conſcientiam facere) ſuſpenſi, prædicare preſumunt, dicta negligetia prius non purgata, ibidem.

Qui prohibent ſequeſtrationem beneficij à ſede Apoſtol. decretam. Qui item fructus ſequeſtri nomine depoſitos occupare quouiſmodo audent. 1. de ſequeſt.

Qui poſtquam moniti fuerint, monialium aut mulierum canonicarum ſecularium viſitatores in ſuo officio impedire præſumunt. c. attendentes. de ſtat. monach.

Religioſi mendicantes, qui immoderate habitacula acquirunt, vel dimittunt, vel transferunt in alios vſus. cupientes de pœnis.

Officiales communitatum, quiue poteſtate prediti vſuras quibuſdam ſtatutis fouent, & item ordinantes quod cum repetuntur vſuræ, non plene reſtituantur, & Iudices ſecundum dicta ſtatuta, præſumentes iudicare. de vſu. c. 1.

Qui in gradibus conſanguinitatis, affinitatiſue pro-

prohibitis, ſcienter matrimonium contrahunt, vel cum monialibus profeſſis, quiue in Religione, aut ſacris ordinibus conſtituti, hoc admittunt, cap. 1. de conſang. & affinit. quod per Paul. 3. extenditur ad tertiaros vtriuſque ſexus ord. S. Dominici collegialiter viuentes.

Qui in cęmeterijs, interdicti tempore in caſibus à iure non conceſſis, quoſcunque aut quouis tempore excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, aut manifeſtos vſurarios ſciẽter ſepelire audent. 1. de ſepult.

Religioſi, qui adminiſtrationem, eccleſiaſticaue beneficia non obtinent, ſi decimas eccleſijs debitas vſurpare audent, niſi poſtquam moniti ſunt, intra menſem deſiſtant, & ſatisfecerint eccleſijs duorum menſium ſpatio de damnis, quæ ob id paſſæ ſunt. Religioſi. de decim.

Monachi aut Canonici regulares, adminiſtrationẽ aliquã non habentes, & ad curias principum ſine ſpeciali licẽtia ſuorũ pręlatorũ ſe conferentes, vt eis aliquod dãnũ inferant. de ſta. mon. c. 1.

Religioſi non ſeruãtes interdictũ, aut ceſſationem à diuinis poſitã auctoritate ſedis Apoſt. aut à loci ordinario, quãdo tñ ea ſeruat cathedralis, aut aliàs matrix eccl. c. ex frequentib. de ſen. excom.

Epiſcopi, Inquiſitores, vicarij eorum, & capitula ſede vacante, qui prætextu ſui officij illicite ſumunt pecuniam aliquam, & qui ſcienter confiſcant bona eccleſiaſtica. de hæreticis. c. 2.

Mulieres ſtatum Beguinarum ſectantes, aut quæ nouum ſuſcipiunt: religioſi item, qui eis conſilium, auxilium, fauorẽue dant. c.j. de rel. dom.

In extrauagantibus, & Concilijs Generalibus.

QVI litteras Papæ, ante ſuam coronationem factas, tanquam irritas impugnant. Clemen. 5. Quia non nulli, de ſent. excommunic.

Qui aſſumunt ſtatum, ſectamue fraticellorum, Pizochorum, & Beguinarum, vel perſeuerant in eo, & Prælati, qui eis hoc concedunt. Ioan. 22. cap. ſancta Romana, de relig. domib.

Qui bona eccleſiaſtica alienant, & qui alienata recipiunt contra formam ibi contentam, abſq; ſedis Apoſt. auctoritate. Paul. 2. ambitioſe. de reb. eccleſ. non alien.

Qui impediunt Legatos, Nuntióſue Apoſtolicos, nè recipiantur, néue ea faciant, quorum cauſa miſſi ſunt. Io. 22. cap. ſuper gentes, de conſuet.

Qui librum, aut quamcũq; ſcripturam imprimũt, vel imprimi facere præſumunt, niſi priùs in vrbe per vicarium, & ſacri palatij Magiſtrum; in alijs verò Diœceſib. ab epiſcopo, alióue perito homine, quem is delegerit, & ab Inquiſitore, liber, ſcripturaue comprobata ſit, Leo. x. in ſeſſ. x. in Conc. Lat. & in indice lib. proh. Reg. x.

Qui prædicando, vel diſputando, audent impugnare montes pietatis, Leo. x. in Concil. Later.

Laici

Laici vtriuſque ſexus ſortilegia, incantationes, ac diuinationes per inuocationem Dęmonū exercentes. ibid. ſeſſ. 9.

Qui docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere; ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumunt, ꝙ illis, quos cōſcientia peccati mortalis grauat (quantumcunq; ſe contritos exiſtiment) habita copia cōfeſſoris, nō neceſſariò pręmittēda ſit cōfeſſio ſacramētalis, ad digne ſummēdū Euchar. ſacramentū. Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. xj.

Fratres S. Franciſci de Paula, minimi nūcupati, recipientes, vel retinentes fratres ord. minor. de obſeruantia, ſine expreſſa licentia Papæ, à tranſeuntib. obtenta, Iul. 2. in Breui, Exponis nobis.

Fratres ordinis prædicat. & ſorores eiuſdem ord. appellantes, aut conuenientes, & conueniri facientes ad iudicem ſecularem, vel eccleſiaſticū etiam conſeruatorem ipſorum, niſi prius cauſam, vel querelam ſuā verbo, vel ſcriptis coram Priore, aut principali, vel Gene. Magiſtro, & ſucceſſiuè in ca. generali propoſuerint, & iudices omnes in his ſe intromittentes. Leo. x. in breuiar. Rom. Pont. quod ad alios ordin. participātes ipſorum priuilegia extenditur.

Fratres, ac moniales S. Claræ, ſeu tertię regulę, vtētes quomodolibet gratijs, & immunitatib. Bullarum cruciatæ, ſeu aliorū conſimiliū, cōtra obedientiam ordinis, & ſine ſpeciali licentia ſuorum ſuperiorum. Leo. x. in priuil. ord. minor.

Fratres cuiuſuis ordinis, & alij prædicantes, ſeu priuatè nunciantes, quod indulgentiæ S. Mariæ de populo de vrbe extenduntur ad ſeculares viſitantes eccleſias priuilegiatorum. Leo.x.in Bulla, Dudum per nos.

Qui falsò affirmant matrimonia à filijsfamilias, ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita, facere poſſe. Seſſ.24. cap.1.de refor.matr.

Raptores mulierum, ac omnes cõſilium, auxilium & fauorem prębentes, ibid.capit.6.& tales ſunt etiam perpetuò infames, omniumq́; dignitatum incapaces, ac tenentur raptam dotare.

Contra dominos, ac Magiſtratus, ac alios cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtentes, qui quouis modo directè, vel indirectè, ſubditos ſuos, vel quoſcunq; alios, tàm viros, quàm mulieres cogunt, quominus liberè matrimonia cõtrahant, nempè quando ſpe magnæ hæreditatis eos, aut eas illis nubere faciunt, quibus nollent, ibidem cap.9.

Omnes Magiſtratus ſeculares, qui ab epiſcopis requiſiti, non prębent auxilium brachij ſecularis, vt clauſura ſanctimonialium cõſeruetur, & vbi violata eſt, reſtituatur.ſeſſ.25. cap.5.de Reg.

Omnes cuiuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, qui, ſine epiſcopi, vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta, ingrediuntur intra ſepta monaſterij Monialium, ibidem

nunc

Digitized by Google

nunc eſt reſeruata Papæ per Greg. xiij.

Omnes, quacunque dignitate fungentes, qui quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quancunque mulierem inuitam ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcunque religionis, vel ad emittendam profeſſionem, ibi. c. 18.

Item omnes, cuiuſcunq; qualitatis fuerint, qui ad prædicta, conſilium, auxilium, vel fauorem dederint ibidem.

Item ſcientes aliquam ex prædictis mulieribus, non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere aut profeſſionem emittere, & quoquo modo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint, ibid.

Item qui ſanctam virginũ, vel aliarum mulierum, voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo ſine iuſta cauſa impedierint. ibid.

Imperator, Reges, Duces, Principes, & alij qui, locum ad Monomachiam (hoc eſt duellum) in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint. Seſſ. 25. cap. 19. de ref. nulli reſeruatur, quoad verò Dominos inferiores Imperatore, & Regib. Papæ reſeruatur abſolutio, vt ſup. diximus.

Item puguam committentes in eodem Duello, & eorum patrini, ibidem.

Qui conſilium in cauſa Duelli, tam in iure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quẽquam ſuaſerint, nec non ſpectatores Duel-

lorum. ibi. nulli reſeruatur, quantum ad hunc locum, ſed eſt Papalis, vt ſupradictum eſt.

Contra illos, qui non verè, ſed ad aliorum commodum, fictè, & in fraudem, beneficia eccleſiaſtica reſignant; vel permutant. Item contra teſtes, & notarios huius fraudis non ignaros. Inn. 8. ſicut bonus.

Incantatores, immolantes dæmonib. aut adorantes eoſdem, aut fabricantes, vel fabricari facientes, vel procurantes imagines, annulum, ſpeculum, phialam, vel rem quamcunq; aliam magicè, ad dęmones inibi alligandos; petẽtes itẽ, vel recipientes reſponſa ab eis, auxilia pręſtolantes pro implendis ſuis prauis deſiderijs, & docẽtes, vel addiſcentes huiuſmodi artem; & demũ habentes, tenẽtes, ſtudentes, & nõ comburentes libros continentes huiuſmodi. Io. 22. Super illi.

Qui in Romana curia Apoſtolicas commiſſiones, intimationes, publicationes, & affixiones præſumpſerint præſentare, præter curſores. Clem. 7. Accipimus.

Prohibentes facere eleemoſinas fratribus Eremitanis Ordinis ſancti Auguſtini. Six. 4. nos attendentes. In priuig. eorum, in Mari Mag.

Qui commentarios, gloſſas, annotationes, aut ſcholia, aut huiuſmodi ediderint pro interpretando Concil. Trident. Pius. 4. Benedictus Deus. hoc idem de Conc. Later. vlt. ſeſſ. 9. aſſeritur.

Officiales, & Magiſt. & locorum Ordinarij, & alij

qui

qui nõ parueriñt præceptis, & mandatis cõcer nentib. inquiſitionem octo Cardinalium inquiſitorum ſuper imponendis, & exequendis pęnis,&c. Pius 4. cùm ſicut. & Pius v. in conſt.

Cõtra omnes & ſingulos Doctores, Magiſtros, Regẽtes,& alios cuiuſcunq; artis profeſſores, etiã quoſcumque regulares, in quibus locis lectoris Cathedram ordinariam, vel extraordinariã obtinentes,& tam Theologicã, quam canonicam, vel ciuilem cẽſuram, medicinã, philoſophiam, grammaticam, vel alias artes liberales, tam publice, quàm priuatim, in quibuſcunque terris, oppidis, ac ciuitatibus aut Eccleſijs, & monaſterijs quoquomodo profitentes, aut lectiones aliquas in facultatibus huiuſmodi habentes, vel exercentes,& contra vniuerſitatum, ſeu gymnaſiorum Rectores, cãcellarios, vel alios ſuperiores, qui profeſſionem fidei in manibus epiſcopi, vel eius vicarij non fecerint. Qui omnes, vltra excommunicationem latæ ſententiæ, etiam ipſo facto omnium, & ſingularum dignitatũ, beneficiorum, officiorum, & feudorum eccleſiaſticorum, per eos quomodolibet obtentorũ, priuationis pœnam eo ipſo incurrunt, & inhabilitatis ad illa, & ad alia impoſterum obtinenda, Pius. 4. in ſacroſancta. Epiſcopis autem pręcipitur, vt faciant hoc obſeruari in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna interdicti, eo ipſo incurrenda.

Omnes

Digitized by Google

Omnes Nuntij Apoſtolici, etiam ſi fuerint Epiſc. Archiepiſcopi, aut Patriarchæ, qui à principib. ſiue Regibus, Imperatoribus, & alijs, ad quos mittuntur, vocales fauores, aut litteras commendationis, aut preces ad dignitates, ſeu gradus obtinendos, per ſe, vel alium, directè, vel indirectè quomodolibet ambire, vel procurare non erubeſcunt, ſiue pro ſe, ſiue pro conſang. & neceſſarijs ſuis, aut illis vltrò ſibi per Principes oblatis vti præſumunt, vel audent, Pius 4. & ſi Romanum Pontificem.

Omnes cuiuſcunque gradus, ſtatus, & conditionis, qui aliquem ex Inquiſitoribus, Aduocatis, promotoribus, notarijs, alijſve miniſtris officij ſanctæ Inquiſitionis, vel epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi, aut prouincia, obeuntium, ſeu accuſatorem, denunciatorem, aut teſtem in cauſa fidei quomodocunque productum, vel euocatum, occiderint, verberauerint, deiecerint, ſeu perterrefecerint: & item contra eos, qui ecçleſias, ædes; aliasve res ſiue publicas, ſiue priuatas officij, aut Miniſtrorum expugnauerint, inuaſerint, incenderint, expilauerint, aut libros, litteras, authoritates, exemplaria, regiſtra, protocola, exempla, ſcripturas, aliave inſtrumenta ſiue publica, ſiue priuata; vbicumque poſita combuſſerint, diripuerint, ſeu interuerterint, ſeu ex Incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illa exportauerint. &c. qui

ad

ad id conſilium, auxilium, vel fauorem præſtiterint, quod fortaſſe continetur in Bulla Cœnæ Domini. Pius Quintus. Si de protegendis.

Qui pro ſupradictis delinquentibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint. Nam in eaſdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à ſacris conſtitutionibus inferuntur, ipſo facto incidunt, ibidem; vt ſupra. Pius Quint.

Impedientes, aut perturbantes notarios ordinis prædicatorum, quo minus ſua munera, & officia exequantur. Pius V. in Bulla. Debitum Paſtor.

Gubernatores, Rectores, Præſidentes, & alij miniſtri, ciuitatum, & terrarum, vel locorum ſtatus eccleſiaſtici, vel etiam Romæ aut ſuburbiorum eius, qui quouis prætextu, etiam ad breuiſſimũ tempus concedere audẽt, vel præſumunt, vt aliquis cuiuſcunq; dignitatis, ordinis, ſtatus, conditionis, vel præeminentiæ, poſſit deferre arma breuioris menſuræ trium palmorum, cuiuſmodi ſunt archibuſetti, pugiones, cultelli, & huiuſmodi, cultelli tamen ad incidendum panem, ſed non maiores vno palmo poſſunt circumferri per ſtatutum Eccleſiaſticum, ſed ſine cuſpide, ideſt ſpontati. Pius V. Cum vices. ipſi autem deferentes prædicta arma prohibita incurrunt crimen læſæ Maieſtatis.

Minian-

Digitized by Google

Miniantes circulos cęreos,ideſt Agnus Dei,conſecratos à Papa Greg.xiij.omnis certè.

Omnes & ſinguli exactores datiorũ, gabellarum, pedagiorum, vectigalium à perſonis regularibus ord. mendicantium; & perturbantes, aut moleſtantes eas in prædictis, toties quoties cõtrauentum fuerit, Pius V. Dum ad vrbes.

Qui exegerint aliquid à religioſis mendicantibus pro contributione ſumptuum, & expenſarum, quæ aliquando pro pontibus, vijs, aquæductibus, muris, aliiſue machinis ſtruendis, aut reparandis, aut locorum, aut terrarum fortificationibus imponuntur, Pius v.

Qui regulares mendicantes, quo ad omnia eorum bona, & quò ad ſuos colonos, affictuarios, & huiuſmodi reſpectiue, nõ dimiſerint exemptos & immunes ab omnibus, & ſingulis exactionibus, tàm vrbanis, quàm ruſticis, Pius V.

De excommunicationi minori.

Effectus minoris excõicationis eſt excludere à participatione ſacramentorũ, nõ autẽ à participatione diuinorum. Vnde excõmunicatus minori licitè poteſt audire Miſſam, & Eccleſiã officiare, dum tamen nullum ſacramentorũ percipiat, nec matrimonium contrahat, nec aliud, niſi prius ſit abſolutus, aliter peccaret mortaliter; nec tamen incurreret in irregularitatem. Incurritur

ritur autem in hanc excommunicationem, primò propter participationem cum excommunicatis maiori, dummodò participet cum eis in alijs, quàm in crimine, videlicet quod participet in his, quæ continētur in verſu infraſcripto. Os, orare, vale, communio, menſa, negatur : quia non debet loqui cum eo, nec orare, nec eum ſalutare, nec in actibus humanæ conuerſationis aliquam communionem habere cum eo, nec comedere cum eodem. Non tamen ſemper peccat mortaliter ille, qui ſic participat cum talibus excommunicatis, quia hoc eſſet nimis durum pro parua videlicet re, obligare homines ad peccatum mortale, vt dicit S. Tho. in 4. ſent. diſt. 18. q 2. art. 4. niſi participet cum illo in contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ, vel contra prohibitionem præceptoriam ſuperioris. Excipiuntur tamen quidam caſus, in quibus participantes cum eis non incurrunt in hanc excommunicationem; qui caſus in hoc verſu infraſcripto comprehenduntur. Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe: primò videlicet quando quis hoc facit, vt procuret vtilitatē animæ ipſius excommunicati, vel etiam vtilitatem propriam; vtputà cùm petit quis ab excommunicato id, quod ei excommunicatus dare tenetur, & debet : aliter excommunicatus de ſua excommunicatione cōmodum, & vtilitatē reportaret; vel etiam cùm petit ab eo conſilium

pro

pro remedio animæ ſuæ, quando ſcilicet non poteſt habere recurſum ad aliquem alium.
Secundo excuſat lex ſcilicet matrimonij ex parte mulieris, quæ poteſt communicare viro excommunicato, cùm ſit ei ſubiecta. vir non tamen excuſatur participando cum vxore excommunicata, quia poteſt eam corrigere cogendo ipſam, niſi in redditione debiti. Tertio excuſat humilitas ſubiectionis, vel ſeruitutis: vnde filij, qui ſunt in patris poteſtáte, vel etiam emancipati, ſi ſunt commenſales patris, & ab eo recipiunt victualia, vel neceſſaria, excuſantur, aliàs non. Et ſerui, & ruſtici, & aliæ ſubiectę perſonę ſimiliter excuſantur, ſi participant cum ſuis dominis excommunicatis. Alioquin ſi tales perſonæ non excuſarentur, ſequerentur infinita inconuenientia, & damna innocentibus. Non tamen ſuperiores excuſantur, ſi participant cum inferioribus, niſi forte participent in his rebus, quæ tenentur prouidere illis, maxime, ſi per illos non ſtetit: quin eos corrigerent, & pro eis quærerent abſolutionem. Quarto excuſantur ignorantes, non ignorantia iuris craſſa, ſed ignorantia facti, cùm ſcilicet eis non conſtat illum eſſe excommunicatum, cum quo participant. Quinto excuſat neceſſitas, quia quilibet in neceſſitate conſtitutus poteſt ab excommunicatis eleemoſynam recipere, & econuerſo etiam excommunicatis in neceſſitate con-

Digitized by Google

ſtitutis eleemoſynam erogare quilibet poteſt, nec etiam eſt expectanda vltima neceſſitas, & extrema. Vnde ſi excommunicatus petat hoſpitium, non tenetur quis expectare, quod ab omnibus ſit repulſus. Excommunicationem minorem, etiam quis incurrit pro ſacrilegio. 17. q. quarta. minor. Similiter pro notoria fornicatione, præcipue clerici, extra de cohab.cler.veſtra. Item cum quis recipit eccleſiam de manu layci. 16.q.7.ſi quis deinceps:difficile tamen eſt hoc elicere ex textu. Notandum eſt tamen ex conſtitutione Martini quinti, in concilio Conſtantienſi, quod nullus incurrit excommunicationẽ minorem, ob participationem cum excommunicatis, quacunque excommunicatione maiori, nullúſque tenetur vitare eos, etiam in diuinis, niſi fuerint publicati, & denunciati ſpecialiter, & nominatim, excepto ſi quis ita notorie percuſſiſſet clericum, quod non poſſet aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo modo excuſari. Quilibet enim tenetur in hoc caſu, huiuſmodi percuſſorem deuitare, etiam ſi non fuerit publice denunciatus, atque hæc de excommunicatione dicta ſufficiant. Quia vero aliquando non ſeruantes interdictum incidunt in excommunicationem, & ſæpe propter contemptum excommunicationum fiunt interdicta, & inde ſequuntur ſuſpenſiones, & irregularitates, de huiuſmodi cenſuris aliquid

dicen-

dicendũ eſt. Quòd tamen breuiſſimè faciemus, nè contra intentionẽ noſtram, in hoc opere ſcribere videamur. Sufficere enim putamus mentem confeſſoris excitare, nè per craſſam ignorantiam, vel per inconſiderationem, talia pertranſeat; ſed, vt per hæc, quæ ſcribemus, cùm cœperit dubitare, ſubſiſtat, & ad doctores, qui huiuſmodi diffusè pertractent, ſe conferat, & ſolutiones inueniat. Primùm ergo dicemus de interdicto, deinde de ſuſpenſione, poſtremò de Irregularitate.

De interdicto.

INterdictum eſt cenſura eccleſiaſtica prohibens diuina officia, Sacramenta, & ſepulturam actiuè & paſſiuè, exceptis aliquibus.

Quod eſt duplex, locale, & perſonale, & quandoque à iure, quandoque ab homine fertur; interdicuntur autem ipſo facto à iure.

Collegium, vel vniuerſitas ciuitatis, aut loci cogens eccleſias, & eccleſiaſticas perſonas ſoluere guidagia, pedagiaque, aut ab eiſdem extorquens gabellas pro rebus proprijs, quas negotiationis cauſa non ducunt. cap. quamquam, de cenſi. in 6.

Vniuerſitas locans domos alienigenis vſurarijs, venientibus ad illuc commorandum pro fœnore, ſeu vſura exercenda, & infra trimeſtre illos

de

de ſuis terris, & locis non eijciens. capit. vſurarum vorago. de vſuris in 6.

Ciuitas, in qua Romani Pontificis electio facienda eſt, cuius domini, vel officiales diligenter nō obſeruauerint ſeruanda, & conſtituta pro tali electione; aut in eis, vel circa ea fraudem aliquam cōmiſſerint. c. vbi periculum. §. Pręterea quia. de elect. eod. lib.

Vniuerſitas concedens, vel extendens pignorationes, ſeu repreſalias, quibus alius pro alio prægrauatur, in clericos, & perſonas eccleſiaſticas. c. & ſi pignorationes. de iniur. & damno dato. eod. lib.

Territoria illorum, qui domos ſuas alienigenis fęneratoribus pro fœnore exercendo locauerint, & cenſuras contra huiuſmodi prolatas per menſem animo ſuſtinuerint indurato, quamdiu in eis, ijdem vſurarij cōmorantur, interdicto ſubiacebunt. c. vſurarum. de vſur. eod. lib.

Vniuerſitas, ſeu ciuitas quælibet (præter vrbem) quæ Cardinales occidentibus, ſeu aliàs eis per ſe, vel per alium mortis cauſam dantibus, ſeu præſumentibus in his conſilium dederit, aut fauorem, ſeu auxilium, vel infra menſem ſaltem taliter delinquentes (cùm facultas affuerit) non duxerit puniendos. cap. felicis recordationis. de pęnis eod. lib. confirmat. à Pio. V. in extrauag. Infelicis ſeculi. & quotannis innouata, & extenſa ad prædicta committentes in

Digitized by Google

Epiſcopos, & Legatos, ac Nuncios; aut prædictos ex ſuis terris, ſeu dominijs, vel diœceſibus eijcientes, eaque mandantes, ſeu conſilium, vel auxilium ad hæc præſtantes; & hoc in Bulla Cœnæ Domini.

Territoria illius (dummodò vltra vnam Diœceſim non contineant) qui Epiſcopum ſuum iniurioſè percuſſerit, aut ceperit, ſeu bannierit, aut hæc fieri iuſſerit, aut ab alijs facta rata habuerit, ſeu conſilium in his dederit, vel fauorem, aut ſcienter defenſauerit huiuſmodi facinus committentes. de clemen. de pœni. capit. ſi quis ſuadente.

Regna, terræ, & loca quælibet ſubiecta illis qui ſedis Apoſt. Legatos, aut Nuntios impediũt, ne liberè regna, loca, ac prouincias, ad quæ miſſi ſunt, ingrediantur, & ne ibidem ſibi commiſſæ legationis munus exerceant, Ioan. 22. in extrauag. de conſuet. cap. ſuper gentes.

Collegia, ac capitula ex priuilegio, ſtatuto, vel conſuetudine olim fructus primi, aut vlterioris anni beneficiorum vacantium integrè vendicantia, quæ poſt hanc conſtitutionem percipiunt de dictis fructibus vltra ſummam, pro qua vnumquodque beneficiorum ipſorum in ſolutione decimæ taxari conſueuit; vel hac dimiſſa, vltra totale reſiduum fructuum; & hoc in partibus, vbi decimæ vnicuique beneficio ſunt taxatæ: In alijs verò regionibus vltra me-

dietatem

dietatem non poſſunt recipere, contrauenientes, interdicto ſubiacent, donec ſatisfaciant. Io. 22. in extrauag. ſuſcepti, de elect. innouata à Pio V. in Bulla. Durum nimis.

Vniuerſitates, aut collegia quouis quæſito colore ab ordinationibus, ſententijs, ſeu mandatis Roma. Pontif. ad Concilium generale futurum appellantia, vel ad id auxilium, cenſilium, vel fauorem præbentia quomodocunque, Iul. 2. in extrauagan. ſuſcepti regiminis, & in annuo Bullæ cœnæ Domini proceſſu.

Principum illorum territoria, qui ſequeſtrationes, applicationes, diſſipationéſq; fecerint, aut fieri mandauerint de quibuſcunq; bonis eccleſiaſticis, aut ad Eccleſiam, vel eius fabricam ſpectantibus. Leo. x. in Conc. Later. Seſſ. 9. innouata per Bullam cœnæ Domini quotannis.

Reſpublicæ, Communitates, & vniuerſitates quomodolibet delinquentes contra ſpectantia ad libertatis, & immunitatis eccleſiaſticæ fauorem. Idem, ibid. & ead. Seſſ. & cap. elericis laicos, de immun. eccleſ. lib. 6. innouata vt ſup.

Capitula infra annum à die vacationis ordinandi licentiam quocunque prętextu alicui, qui beneficij eccleſiaſtici recepti, ſiue recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedentia; Conc. Trid. Seſſ. 7. de Reform. cap. 10.

Eccleſiæ, & cęmeteria, apud quæ ſepulti fuerint ij, qui ab eius eccleſiæ clericis, vel religioſis in-

Digitized by Google

ducti fuerunt ad promittendum, vouẽdum,ſeu iurandum ſe electuros ſepulturam apud eorum eccleſias, vel iam electam vlteriùs non immutaturos,ſi intra decem dies ſepultorum cadauerum(ſi petãtur)& omnium, quæ occaſione talis ſepulturæ ad eos quomodolibet peruenerunt, reſtitutionem non faciant, hoc termino elapſo (donec ſatisfiat,) ſubiacent prædicta interdicto. c. Animarum.periculis.de ſepult. in 6.

Hi omnes caſus(penultimo excepto)licèt vniuerſitates,& loca tantùm interdicto ſupponãt,particulares tamen perſonas(exceptis Epiſcopis,& ſuperioribus in aliquibus nõ omnibus)excommunicationis mucrone feriunt,& innodant.

Sequuntur modo caſus interdicti contra perſonas ſingulares.

Religioſi,vel ſeculares etiam exempti ſcienter celebrantes,vel celebrari facientes diuina in locis quibuslibet à iure, vel ab homine interdictis, aut excommunicatos publicè,vel interdictos nominatim ad diuina officia, ſeu eccleſiaſtica ſacramenta, ſeu etiam eccleſiaſticam ſepulturam admittentes.c.Epiſcoporum,de priuil.in 6.

Locorum ordinarij ſuadentes, & etiam cenſuris inhibentes, ne Chriſti fideles fratribus Prædicatorum, & Minorum pias eleemoſinas erogare præſumant, & erogantes excommunicatos fore prædicantes, ſeu prædicari facere, vel pronuntiare præſumentes. Six.4. in Bulla, quæ

incipit:

incipit. Sacri Prædicatorum, & Minorum.

Iidem inhibentes perſonis quibuslibet, & quomodolibet, aut præcipientes, ordinantes, vel ſtatuentes aliquid, quominus ſupradictorum ordinum fratres, eorum domus, & profeſſores liberè vti poſſint priuilegijs, & indulgẽtijs fratrum Herem. S. Auguſt. Carmelitarum, & Seruorum. Idem. ibi circa finem.

Iidem obſiſtentes quominùs ſepeliantur in eccleſijs, & cœmeterijs ordinis Heremit. S. Auguſt. qui ex ſua deuotione, vel extrema voluntate ſe illic ſepeliri deliberauerint, ſalua tamen ſemper iuſtitia eccleſiarum parochialium, vel cathedralium. Idem in Bulla aurea, quæ incipit. Dum fructus vberes.

Iidem perſuadentes religioſis, vel ſecularibus, vt ipſis inuitis quorumcunque cadauera in cœmeterijs dictorum fratrum ſepeliãt, vel etiam ipſi perſonaliter ſepelientes. Item ibid.

Iidem Miſſarum ſolemnia in eorum eccleſijs, vel ibidem pro defunctorum apud eos tumulatorum animabus exequias ſine eorundem aſſenſu, & voluntate celebrari facientes. Idem.

Iidem cogentes eos ad ſolutionem collectarum, ſeu exactionum quarumlibet, ſeu etiam exigentes, ac extorquentes ab ipſis decimas pro vineis, terris, hortis, & cæteris ad eos pertinentibus. Idem ibid.

Iidem prohibentes, quominùs recipiant, & ad-

mittant quaſcumque mulieres tam virgines, quam viduas, & coniunctas ad habitum, & regulam eiuſdem ordinis ad inſtar mantellatarum, ſeu pinzocherarum ordin. minorum. idem ibidem.

Iidem impedientes quominùs quoſcumque clericos, vel laicos liberos, & abſolutos à ſeculo fugientes pro conuerſione ad habitum, & ordinem ſuę religionis recipiant, & retineant, ibidem.

Ijdem ad eorundem domos cauſa ordines celebrãdi, tractandi, vel aliquos conuentus publicos conuocandi venire præſumentes, vel eos ad Synodos, vel conuentus forenſes accedere compellentes, vel pro cõſecrationibus eccleſiarum, & altarium, pro oleo ſancto, & quolibet eccleſiaſtico ſacramento quicquam ab eis extorquere audentes, & gratis non impendentes. Idem ibidem.

Ijdem perſonis confeſſis dictis fratribus approbatis, & admiſſis ad ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrandum, ſine rationabili cauſa ſacramenta Euchariſtiæ, aut (infirmitate exigente) etiam extremæ vnctionis denegantes, aut illorum exhibitionem malitioſè differentes, vel parochianis ne dictis fratribus confiteantur prohibentes, & perſuadentes, & ad omnia præmiſſa, ſeu aliquod ipſorum auxilium, conſilium, vel fauorem dantes directè, vel in-

directè

directè, & quomodolibet. idem ibid.

Ijdem eadem committentes in fratres, & loca quorumlibet ordinum mendicantium, qui ſunt ordin. S. Franciſci. S. Dominici. Hęrem. S. Auguſt. Carmelitarum, ſeruorum B. Mariæ, & S. Franciſci de Paula, qui in omnibus priuilegijs, & indultis communicant; vt apparet in Extrauag. Pij V. quæ incipit, Romanus pontifex, & in alia, quæ ita exorditur, Apoſtolicæ ſedis. Et ſi alij ordines non mendicantes hæc priuilegia participant, proculdubio ijdem eadem contra huiuſmodi, perpetrantes, cenſura inuoluentur præſenti.

Epiſcopi, & Abbates bona eccleſiarum, monaſteriorum, locorumq; piorum quorumlibet alienantes inconſulto Roma. Pontif. aut contra tenorem conſtitutionis Pauli 2. quæ incipit, Ambitioſę cupiditati, in Extrauag. commun. de reb. eccl. non alien.

Epiſcopi non facientes obſeruari conſtitutionem de facienda fidei profeſſione ab omnibus cuiuſlibet facultatis lectoribus etiam Grammaticæ tam publicis, quàm priuatis, ac vniuerſitatum, ſeu Gymnaſiorum Rectoribus, Cancellarijs, vel alijs ſuperioribus. Pius 4. in Extrauag. quæ incipit. in ſacroſancta.

Prælati ſine licentia Papæ commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, aliúdue interpretationis genus ſuper Concilij Tridentini de-

cretis edentes, aut quicquam quouis nomine, etiam ſub prætextu maioris decretorum corroborationis, aut executionis, aliòue quæſito colore ſtatuentes. Idem in Extrauag. ſuper ipſius concilij confirmatione, quæ incipit, Benedictus Deus.

Cardinales, cæteríque Prælati eccleſias, monaſteria, dignitates, vel alia beneficia etiam iuriſpatronatus, fructus, vel penſiones, regreſſus, ſeu acceſſus in confidentiam recipere præſumentes. Pius 4. in bulla: Romanum Pontificem. Pius 5. tamen videtur in Extrauag. Intolerabilis multorum: omnes hoc admittentes excommunicationis laqueo indifferenter innectere: committitur autem ipſum confidentiæ crimen pluribus modis, quos hic ſubijcere neceſſarium putamus.

Si quis reſignet beneficium alicui paciſcendo de aliqua penſione ſine Apoſtolico conſenſu.

Si quis nollens promoueri ad ſacros ordines, prout requirit beneficium, vel nollens aſtringi ad reſidentiam, habitum, & tonſuram clericalem; beneficium reſignet alicui, reſeruando fructus, vel penſiones, ſine prædicto aſſenſu.

Si quis ſtatuens ire ad bellum, aut vlciſci de hoſtibus ſuis, & ne ex delicto perpetrando, vacare contingat beneficium, alteri reſignet, paciſcendo de fructibus, vel ſuper penſione ſibi, vel

alij

alij reſeruanda, ſine præfato aſſenſu.

Si quis criminoſus, alióue modo irregularis beneficium reſignet, vt obtenta poſteà diſpenſatione ab irregularitate, idem beneficium repetat.

Si quis beneficium quomodolibet reſignauerit, vt ſibi poſteà reſtituatur, vel illi, quem ipſe nominauerit.

Si quis beneficium vacans impetrauerit eo pacto, vt poſteà ad mandatum alicuius illud dimittat, & reſignet ad hoc, vt alteri conferatur.

Si quis beneficium acceptauerit ad hoc, vt cùm infans, vel puer adoleuerit, illi poſteà reſignet.

Si quis poteſtatem habens conferendi, præſentandi, aut inſtituendi in beneficio, contulerit, præſentauerit, inſtitueritue; vt de fructibus aliquid ſibi, vel alij reſpondeatur.

Si quis ex priuilegio non obligatus ad ſoluendam expeditionem Bullarum Cameræ, vel Cancellariæ Apoſt. faciat expediri Bullas ſub nomine ſuo, vt euitet dictas expenſas pro alio, qui in rei veritate dicti beneficij futurus eſt poſſeſſor.

Si quis ad effectum litis defendendæ ſuper beneficio, alicui potenti reſignauerit illud ad hoc, vt obtenta victoria litis, alteri conferatur, & reſignetur, aut ſibi reſtituatur.

Sed

cretis edentes, aut quicquam quouis nomine, etiam ſub prætextu maioris decretorum corroborationis, aut executionis, aliòue quæſito colore ſtatuentes. Idem in Extrauag. ſuper ipſius concilij confirmatione, quæ incipit, Benedictus Deus.

Cardinales, cæteríque Prælati eccleſias, monaſteria, dignitates, vel alia beneficia etiam iuriſpatronatus, fructus, vel penſiones, regreſſus, ſeu acceſſus in confidentiam recipere præſumentes. Pius 4. in bulla: Romanum Pontificem. Pius 5. tamen videtur in Extrauag. Intolerabilis multorum: omnes hoc admittentes excommunicationis laqueo indifferenter innectere: committitur autem ipſum confidentiæ crimen pluribus modis, quos hic ſubijcere neceſſarium putamus.

Si quis reſignet beneficium alicui paciſcendo de aliqua penſione ſine Apoſtolico conſenſu.

Si quis nollens promoueri ad ſacros ordines, prout requirit beneficium, vel nollens aſtringi ad reſidentiam, habitum, & tonſuram clericalem; beneficium reſignet alicui, reſeruando fructus, vel penſiones, ſine prædicto aſſenſu.

Si quis ſtatuens ire ad bellum, aut vlciſci de hoſtibus ſuis, & ne ex delicto perpetrando, vacare contingat beneficium, alteri reſignet, paciſcendo de fructibus, vel ſuper penſione ſibi, vel

alij

alij reſeruanda, ſine præfato aſſenſu.

Si quis criminoſus, alióue modo irregularis beneficium reſignet, vt obtenta poſteà diſpenſatione ab irregularitate, idem beneficium repetat.

Si quis beneficium quomodolibet reſignauerit, vt ſibi poſteà reſtituatur, vel illi, quem ipſe nominauerit.

Si quis beneficium vacans impetrauerit eo pacto, vt poſteà ad mandatum alicuius illud dimittat, & reſignet ad hoc, vt alteri conferatur.

Si quis beneficium acceptauerit ad hoc, vt cùm infans, vel puer adoleuerit, illi poſteà reſignet.

Si quis poteſtatem habens conferendi, præſentandi, aut inſtituendi in beneficio, contulerit, præſentauerit, inſtitueritue; vt de fructibus aliquid ſibi, vel alij reſpondeatur.

Si quis ex priuilegio non obligatus ad ſoluendam expeditionem Bullarum Cameræ, vel Cancellariæ Apoſt. faciat expediri Bullas ſub nomine ſuo, vt euitet dictas expenſas pro alio, qui in rei veritate dicti beneficij futurus eſt poſſeſſor.

Si quis ad effectum litis defendendæ ſuper beneficio, alicui potenti reſignauerit illud ad hoc, vt obtenta victoria litis, alteri conferatur, & reſignetur, aut ſibi reſtituatur.

Sed

Sed & ſi nulla pactio, ſeu conuentio de fructibus, vel penſione interceſſerit per reſignantem, conferentem, inſtituentem, aut præſentantem, cum ipſo recipiente; ſi tamen poſt perfectam reſignationem, vel prouiſionem ipſe reſignator, vel prouiſor, aut familia eius, aut propinqui, ſeu hæredes de facto colligant fructus aut partem dicti beneficij, probatur adeſſe contractum confidentiæ.

Idem erit, ſi prouiſus de beneficio conſtituat procuratorem ipſum reſignantem, vel prouiſorem ad percipiendum, ſeu locandum fructus beneficij: idem, ſi conſtituat procuratorem aliquem propinquum dicti reſignantis, vel prouiſoris, aut præſentantis.

In ſumma, ſi quomodolibet tertia perſona ſuppoſita ſit ad titulum beneficij, vel ad fructus, dicitur beneficium eſſe in depoſito, & confidentia.

Supradictis igitur omnibus caſibus committitur ſimonia ex titulo confidentiæ, non ſolùm ex parte conferentis, reſignantis, & præſentantis; ſed etiam mediatoris, & recipientis eo modo beneficium, vt patet ex d. conſtitutione Pij V. Intolerabilis.

Sciendum verò prælibatos interdicti caſus omnes (exceptis Prælatis) excommunicatione illaqueare; Attamen aduertendum quòd, niſi interdictum ſpecialiter, & expreſsè à iudice promul-

promulgatum, & denunciatum fuerit contra certam aliquam perſonam, collegium, vniuerſitatem, eccleſiam, aut locum determinatum, & determinatam; nemo tenetur abſtinere, & ſeparare ſe, ſeu euitare communicationem alicuius in adminiſtrando, aut recipiendo ſacramenta, aut alijs diuinis officijs, aut extra illa, ratione ipſius interdicti; etiam ſi certo ſciatur ipſam perſonam, vel vniuerſitatem, ſeu locum contraueniſſe alicui conſtitutioni, & incurriſſe canonem interdicti latæ ſententiæ tam à iure, quàm ab homine; & hoc idem de alijs cenſuris dicēdum venit, ſolo illo excepto, quem manifeſtè conſtat excommunicationem incurriſſe, quod nullo modo poteſt occultari, aut per aliquod iuris remedium excuſari: à tali enim in omnibus diuinis, & alijs non neceſſarijs abſtinendum eſt; ipſi tamen incurrentes ſententias interdicti, ſuſpenſioníſque in nullo ob id releuantur: contrafaciendo enim inflictæ ſententię à canone etiam non denuntiatæ ſpecialiter mortaliter peccarent, & fierent nihilominus irregulares, prout conſtituit, & declarauit Leo. x. in Concil. Later. ſeſſ. x.

Requirit locus, vt caſus, quibus Eccleſia violatur, referamus, ſunt autem hi.

Primus eſt, cùm in ea ſemen humanum voluntariè effunditur, capitulo, eccleſijs, de conſecrat. diſtinct. 1. ſed ſciendum, quòd opportet

tale

tale facinus eſſe publicum, vel aliàs notorium, aut ad hominum notitiam deductum per confeſſionem ſaltem ipſorum, qui coierunt, vel alterius ipſorum; idem de eo, qui ſeipſum vigilans voluntariè polluit, niſi ſe pro dat, & detegat, non erit eccleſia polluta taliter, quòd ſit ceſſandum à diuinis, & eccleſia reconcilianda. Conc. Colonien. ſub Hermanno par. 9. cap. 18. & Sotus 4. ſent. d. 13. q. 2. art. 3. coniugalis autem concubitus etiam idem operatur, quod aliæ pollutiones illicitæ, & criminoſæ, licèt de hoc non parùm dubitent Doctores.

Secundus caſus eſt, cùm intra eam ſanguis humanus iniurioſè effunditur, aut cauſa naturalis eius effuſionis, aut mortis datur; ibid. quare non violabitur templum per homicidium caſuale, aut dum fit cum moderamine inculpatæ tutelæ; aut ob mortem ſubitaneam ab homine non illatam; nec etiam per mortem alicuius extra vulnerati; aut ſanguinis effuſionem à naribus, aut vulneribus ibi non receptis, prouenientis; nec etiam per vulnera, ſeu mortem ibi illatam ab amente, aut alio vſu rationis carente; nec etiam ob talia facta ſuper tectum, vel in ſpecu, vel apud parietes eccleſiæ ab extra: nec ob huiuſmodi crimina in ea perpetrata occultè, & non publicata, vel aliter notoria facta, ea ratione, qua de ſeminis pollutione diximus.

Tertius

Tertius caſus eſt, cùm in ea aliquis excommunicatus notorius, aut infidelis ſepelitur, capit. conſuluiſti, de conſecr. eccl. & cap. eccleſiam. 1 & 2. de conſecr. diſtin. j. & cùm eccleſia conſecratur, aut benedicitur per Epiſcopum publicè excommunicatum, aut cùm ipſius eccleſię parietes omnes renouantur, & hæc duo poſtrema ſecundum Doctores. Et ſciendum, quòd his caſibus non eſt expectanda ſententia, ſeu declaratio iudicis; ſed ſtatim eſt ceſſandum à diuinis, donec eccleſia, ſi conſecrata, ab Epiſcopo loci; ſi tantùm benedicta, à ſacerdote ſimplici per aquam luſtralem reconcilietur, cap. ſi eccleſia, de conſecrat. Inſuper violato cœmeterio non erit propterea eccleſia polluta; licèt hac contaminata etiam illud eidem ſubiaceat ceſſationi, cap. ſi ciuitas, de ſenten. excomm. in 6. prætereà memoriæ commendandum, irregularitatẽ non incurri ob celebrationem in eccleſia polluta factam; peccatum tamen etiam mortale non euitatur, ſi extra neceſſitatem id fiat, cap. is qui in eccleſia, de ſent. excom. lib. 6. plura alia de hac cenſura ſubticentur, eo quòd apud alios in promptu ſunt.

Tantummodò illos breuiter ſubiungimus, quibus eſt eccleſiaſtica ſepultura interdicta, inter quos primò ſunt infideles omnes, capit. eccleſiam. de conſecr. diſt. 1. ſemetipſos interficientes quomodolibet. cap. Placuit. 23. q. 5. etiam ſi

ex

ex honeſta cauſa hoc fecerint, cap. ex parte, de ſepult. Hæretici, eorum fautores, defenſores, & receptatores, ac negotiationem cum eis exercentes, cap. ſicut ait, de hæret. &c. Quicunque hæreticos, eod. tit. in 6. Excommunicati, & interdicti publicè denuntiati, ſeu aliàs notorij, c. in noſtra, de ſepul. in extremis tamen ab his cenſuris à quouis abſoluti non includuntur, ca. Parochiano, de ſepult. vſurarij manifeſti in eodem peccato vſurarum decedentes, cap. quia in omnibus, de vſu. &c. eos qui propriæ. clem. de ſepul. ſemel ſaltem in anno peccata non confitentes fideliter, aut reuerenter ad minus in paſchate Euchariſtiæ ſacramentum ſine proprij ſacerdotis conſilio non ſuſcipientes, capit. omnis, de pœnit. & remiſſ. Raptores, & incendiarij eccleſiarum, qui in extremis ſecuritatem præſtare nequiuerint, licèt contriti, confeſſi, & viatico refecti, cap. ſuper eo. de raptor. Regulares omnes, qui proprium retinendo decedunt, cap. ſuper quodam, de ſtatu monach. laici decimas eccleſiæ debitas iniuſtè detinentes, cap. prohibemus, de decim. Blaſphemi in Deum, & ſanctos, pœnas in tales ſtatutas, & irrogatas ſuſcipere renuentes, dum viuunt, cap. ſtatuimus, de maled. vulnerati in torneamentis, qui ob id moriuntur, etiam ſi pœniteant, & confiteantur, cap. fœlicis memoriæ. Qui in conflictu duelli deceſſerint. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 19. om-

nes

nes in ſpectaculis cum Tauris, aliiſue feris congredi audentes, & in ea agitatione oppetentes. Pius v. Extrauag. De ſalute gregis, à ſummiſtis annectuntur in peccato mortali ſine pœnitentia animam efflantes, quod verum puto; textus tamen, licèt multi ab eis adducantur, mihi ad hoc probandum deficiunt, licèt non rationes. Et hęc de interdicto dixiſſe ſufficiat.

De ſuſpenſione.

SVſpenſio (prout à nobis ſumitur in præſenti) eſt cenſura, qua alicui perſonæ eccleſiaſticæ prohibetur exercitium ſui officii, vel beneficij eccleſiaſtici in totum, vel in partem, in certum tempus, vel in perpetuum quoad partem, ob ſuam culpam. Sciendum autem, quòd prohibitio totius exercitij, officij, vel beneficij in perpetuum eſt potiùs depoſitio, ſeu priuatio, quàm ſuſpenſio. Inſuper, non niſi ob culpam propriã mortalem, vel venialem, cuius ſit pœna, non incurritur, quæ enim ob ſenectutem, vel alias infirmitates fit, non eſt ſtrictè cenſura, de qua loquimur, licèt generaliter ſuſpenſio nuncupari poſſit, iuxta cap. tua nos, &c. De rectoribus. & c. fi. de cle. ægro. & c. 1. eo. tit. lib. 6.

Eſt autem triplex ſuſpenſio; officij, & beneficij ſimul. cap. tuarum. de priuil. officij tantùm, vel partis eius; & beneficij, vel rei pertinentis

ad

ad illud tantùm; gloſ.clement. cupientes de pœnis: nihilominùs tamen ſuſpenſionis ſententia ſimpliciter prolata intelligitur ab officio tantũ, ſi à iure; ab officio autem, & beneficio ſimul, ſi ab homine; Cùm autem ſuſpenſio à beneficio requirat iudicis declarationem. Ideò non morabimur in eius caſibus recenſendis, ſed tantùm illos, propter quos ſuſpenſio ab officio infligitur à iure, referemus, & ſequuntur.

Clerici publici concubinarij, & fornicatores, donec pœniteant. Alex.2.c. præter hoc, diſtin.32. & Greg.j.c.ſi qui ſunt.d.81.

Occupantes, ſurripientes, conſumentes, ſeu etiam inter ſe diuidentes bona à prælatis eccleſiarum dimiſſa, vel vacationis tempore obuenientia, donec plenè reſtituerint quicquid de bonis perceperint ſupradictis, capitu. quia ſæpè, de elect.lib.6.

Epiſcopi, eorum ſuperiores, ac alij inferiores eccleſiaſtici aliquid ex redditibus dignitatum, & eccleſiarum vacantium eis ſubditarum à mortuo poſſeſſore relictis, vel vacationis tempore durante collectis, quouſq; reſtitutionem fecerint de prædictis, niſi de conſuetudine præſcripta, vel priuilegio ipſis competant, capitu. præſenti prohibemus, de offic. ordinar. lib.6.

Quicunque deteſtabile crimen ſimoniacæ prauitatis commiſiſſe compertus fuerit in conſequen-

ſequendis ordinibus, eo ipſo erit à ſic ſuſceptorum ordinum executione per decennium ſuſpenſus ſine diſpenſationis ſpe, per annum etiam carceri mancipandus. Pius Quint. in ampliſſima illa Bulla; Cùm primum, ſuarum conſtitut. folio 9. indeterminatè autem etiam ſunt talia perpetrantes ſuſpenſi non tantùm manifeſti, quantùm etiam occulti per extrauagan. Pauli II. quæ incipit: Cùm deteſtabile, innouatam, & confirmatam ibidem ab eo. Pio Quint. Simoniacè verò dignitates, & beneficia eccleſiaſtica acquirentes, ipſis erunt ipſo iure priuati, inhabileſque ad eas, & ea, vel alia quælibet obtinenda, nihilominus etiam ad omnium fructuum reſtitutionem obligati. Pius Quint. ibid. & ſimiliter comprobata conſtitut. Pauli II. & ante hos ambos hæc omnia (carceratione excepta, & temporis determinatione) conſtitut. Mart. V. in Concil. Conſtantien. quos etiam Lucius Papa deponi conſtituit, de ſimon. capit. ſicut, imò etiam pluries hoc iterantes vult degradari, & à fidelium conſortio eijci Pius V. vbi ſuprà.

Conuentus, & capitula in receptione perſonarum vtriuſq; ſexus ad religionem, aut ante, vel poſt illam paſtus, prandia, pecunias, aut res alias etiam ad eccleſiaſticum, aut alium pium vſum deputatas, vel deputandas directè, vel indirectè petentia, ſeu exigentia. Vrban. V. in extra-

uag. de ſimonia. cap. 1. pro quo ſciendum eſt Clementem VII. conceſſiſſe monialibus vt his non ſubiaceant pœnis propter pacta, & conuentiones, quas faciunt de dotibus recipiendarum, in commodum earum victum, vt ex priuileg. compendio patet.

Capitula, & conuentus, quibus ob trāſgreſſionem conſtitut. Pij V. circa non admittendas beneficiorum reſignationes, eſt interdicta facultas cōferendi beneficia, ſeu officia, vel confirmandi, eligendi, præſentandi, & inſtituendi quemquam in ipſis, & nihilominus prædicto non obſtante ea omnia, vel aliqua ſic poteſtate priuati faciunt. Pius V. ea ipſa conſtitutio, quæ incipit: Quanta Eccleſiæ, ſuarum conſtit. fol. 78. abſolut. Papæ reſeruat.

Epiſcopi, eiſque ſuperiores, priuilegio, ſtatuto, vel conſuetudine olim fructus primi, aut vlterioris anni beneficiorum vacantium integrè ſibi vendicantes, qui poſt hanc conſtit. de dictis fructibus percipiunt vltra ſummam, qua in ſolutione decimæ quodlibet beneficium taxari ſolet; vel hac dimiſſa, vltra totale reſiduum fructuum, idque in regionibus, vbi decimæ beneficijs ſunt taxatæ. In alijs verò vltra medietatem fructuum recipientes, & infra menſem illis, ad quos ſpectat, non reſtituentes, donec ſatisfaciant ſunt eo ipſo ſuſpenſi. Ioannes xxij. in extrauag. ſuſcepti regimi-

nis:

nis: confirmata à Pio V. in Bulla, Durum nimis. Conſtit. eius folio 174. vbi etiam multa quoad hoc decreuit, & ſtatuit ſub ſuſpenſionis (quoad Antiſtites) & excommun. quoad alios ſingulares, ſententijs, & pœnis; quam omnes beneficiorum collatores videre omnino deberent; conſideratione enim indiget, & maxima circumſpectione ob ſui difficultatem, & variam locutionem.

Iidem domos locantes alienigenis vſurarijs, venientibus ad ibi morandum pro fœnore faciendo, vel permittentes in terris ſuis conducere, vel conductas habere, vel aliàs habitare, & infra trimeſtre illos à ſuis terris non eijcientes. Greg. x. de vſur. in 6. c. 1.

Recipientes publicum vſurarium ad ſepulturam eccleſiaſticam, donec ad ſui Epiſcopi arbitrium ſatisfaciant cap. quia in omnibus. de vſur. & ca. quamquam. eod. tit. in 6.

Obligantes ſuæ eccleſiæ fructus pro debitis alienis, c. 2. de ſolutio.

Duos ſacros ordines eodem die recipientes, capit. fin. de eo, qui furt. ord. ſuſc.

Ordinati ab eo, qui renunciauit Epiſcopatui, c. j. de ord. ab Epiſ. qui renunt. Epiſcopatui.

Vltramontani in Italia ordinati ſine licētia ſui Epiſcopi in ſcriptis, cap. j. de temp. ordin. in 6. cuius abſolut. Pap. reſer.

Omnes ſine legitima facultate, vel ætate, vel extra

tempus legitimum ordinati. Pius 2. in conſtit. cùm ex ſacrorum. confirm. à Pio V. vt ex eius conſt. præambulis patet.

Fratres mendicãtes ad Epiſcopatum, vel alias prælaturas promoti priùs ſe conſecrari facientes, quàm ordini libros reſignent. Clem. 4. in priuil. prouidentia.

Epiſcopi, eíſque ſuperiores in grauamen, aut detrimentum eccleſię bonorum ipſius àlienationi conſentientes, vel in hoc decretum, ſeu authoritatem ſuam interponentes. Paulus 2. in conſt. cùm in omnibus.

Iidem, etiam cardinales, quouis modo Notarios ord. Præd. ab eius ordin. Prælatis electos, & comprobatos in executione intimationum, citationum, & aliorum ad eorum officium ſpectantium impedientes, ſeu impedire, ac perturbare præſumentes. Pius V. Debitum Paſtoral.

Ijdem, etiam Cardin. populo caſuum, gratiarum, & indulgentiarum indicem, quo certo pretio ſoluto abſolui poſſit, & diſpenſari in multis reſeruatis, ac Indulgentias acquirere publicantes, vel concedentes; vel huiuſmodi indicem vbilibet repertum non dilacerantes, pœnitúſque delentes: abſolut. Pont. Roman. reſeruat. Idem Pius in extrauag. Quam plenum, conſtit. eius. fol. 170.

Epiſcopis inferiores, qui ob procurationem ſibi

ratio-

ratione viſitationis debitam, exigere pecuniam vel etiam à volente, recipere, aut munera acceptare; ſiue viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus ſumere præſumpſerint; niſi infra menſem duplum reſtituant eccleſiæ, à qua id fuerit receptum, ſunt ſuſpenſi ab officio, & beneficio, quouſque eidem eccleſiæ in duplo ſatisfecerint, capit. 2. de cenſ. in 6. Epiſcopi, & alij Prælati ſuperiores id facientes interdicto ſubiacent. ibid.

Regulares Prælati, ſeu ſuperiores extra neceſſitatem, vel vtilitatem eccleſiæ, monaſterij, aut adminiſtrationis iura, redditus, aut poſſeſſiones eorundem alicui ad vitam eius, vel tempus certum concedentes quouis modo, etiam pecunia inde recepta, ſine ſui capituli, vel Prælati licentia. Clem. de reb. eccl. non alienand. cap. 1.

Ordinati propter litteras dimiſſorias capituli, vel alterius loco capituli in iuriſdictione Epiſcopo ſuccedentis ſede vacante, infra annum à die vacationis, ad beneplacitum futuri Prælati ſunt ſuſpenſi. Concil. Trid. Seſſ. 7. de reform. cap. x. & Seſſ. 23. de reform. cap. x.

Ordinati ab Epiſcopo in alterius Epiſcopi diœceſi ſine licentia illius expreſſa. Idem Seſſ. 6. de refor. c. fin.

Ordinati ab Epiſcopis titularibus ſine proprij prælati conſenſu, ad arbitrium eiuſdem ſui

prælati ſunt ſuſpenſi. Seſſ. 14. de reformatio. capit. 2.

Ordinati à non ſuo Epiſcopo ſine conſenſu, & teſtimonio ſui Epiſcopi ad eiuſdē arbitrium ſunt ſuſpenſi. Idem Seſſio. 23. de reformatio. capit. 8.

Parochus, vel quilibet alius ſacerdos alterius parochiæ ſponſos ſine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, vel benedicere audentes, ad arbitrium ordinarij illius parochi, qui intereſſe debebat, erit ipſo iure ſuſpenſus. Seſſ. 24. de reformatio. matrimon. capitulo primo.

Epiſcopi in concubinatus crimine perſiſtentes, & à prouinciali ſynodo admoniti ſe non emēdantes. Seſſ. 25. de reform. cap. 14.

Quilibet in ſacris conſtitutus ordinibus de conceptione Virginis Mariæ, an, videlicet, in peccato originali ſit concepta, nec ne, in popularibus concionibus, vel vbicunque promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet, de huius controuerſię alterutra parte diſputans, rationibus, vel doctorum auctoritate propriam confirmans ſententiam, contrariamque refellens, & impugnans; vel de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribens, aut dictans; abſol. Papæ reſer. Pius V. in extrauag. ſuper ſpeculam. Cōſt. eius fol. 151.

Regu-

Digitized by Google

Regulares omnes, qui mulieres cuiuslibet conditionis habentes facultatem, ſeu licentiam à ſede Apoſt. ingrediendi monaſteria, & domos regularium, in ea, vel eas introducere, admittereue præſumunt. Idem Pius in breui, quod incipit, Regularium. Conſtit. fol. 41. id, poſteà requiſitus dictus Pontifex, extendi voluit ad introducentes, vel admittentes mulieres licentia prædicta carentes, prout teſtatur Nauar. in cap. ſtatuimus 19. q. 3. num. 62. vbi hanc Pij Conſt. interpretatur.

Sede Epiſcopali vacante, loco capituli infra annum à die vacationis litteras dimiſſorias concedentes, per annum ſuſpendit Concil. Trid. Seſſ. 23. de refor. c. 10.

Iudices eccleſiaſtici contra conſcientiam, aut iuſtitiā in grauamen partis alterius in iudicio quicquam facientes per gratiam, vel per ſordes ſuſpenduntur eo ipſo ab Innoc. 4. de ſenten. & re iud. lib. 6. c. 1.

Conſeruatores cauſas non notorias cognoſcentes, vel de eis ſe intromittentes, ſeu ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, ſuam extendentes poteſtatem, eo ipſo per annum ſunt ſuſpenſi. de offic. iud. deleg. c. 15. lib. 6.

Epiſcopi eccleſiarum bona, & iura in emphiteoſim laicis tradendo; ſeu in caſibus vetitis alienando; ſeu profitendo ab ipſis tanquam ſuperioribus ea ſe tenere, vel ipſos patronos perpe-

tuo, vel ad tempus non modicum ſtatuendo ſine Apoſtolicæ ſedis licentia,& ſui capituli conſenſu,triennio ſuſpenduntur,cap.2. de reb.eccl. non alienan.in 6.

Prælati,& iudices eccleſiaſtici excommunicantes, ſuſpendentes, & interdicentes aliquẽ ſolo verbo ſine ſcriptis, & expreſſa illius cauſa, & non dantes huiuſmodi ſcripturæ copiã requiſiti, infra menſem; ſuſpenduntur eo ipſo per menſem vnum.Innocen.Quart.de ſentent.excommunic. cap.1.in 6.

Suſpenduntur etiam Epiſcopi à Pontificalibus ob plura, quæ facilè reperies.

Aduertendum autem ſuſpenſionem, quæ habet determinatum tempus, eo durante tolli non poſſe ab alio,quàm Rom. Pontif. ſicut nec eam ſibi ſpecialiter reſeruatam, niſi ex delicto occulto proueniat, quia tunc in qualibet ab Epiſcopo diſpenſari poteſt; per Concil. Trident. Seſſ.24.de reform.cap 6.eam verò,quæ nemini reſeruant, niſi in arbitrio Epiſcopi à Canone relicta fuerit, quilibet cõfeſſarius tollere poteſt in confeſſione ſacramentali, arg.ex capit.29.de ſent.excom. niſi ſpecialiter Epiſcopus ſibi omnes cenſuras à iure latas reſeruet, quia eo caſu à ſuſpenſione abſolui nemo poſſet eo in conſulto etiam tempore Iubilei; Papa enim tunc earum tantùm cenſurarum abſolutionem concedit, quæ Indulgentiæ conſequutionem, ſacramen-

cramentalem abſolutionem, & communionem impediunt, qualia ſunt excommunic. & interdictum, non autem ſuſpenſio; poteſt enim quis, licèt ſuſpenſus ab officio, abſolutionem conſequi, communicare, & Indulgentias conſequi. de ſuſpen. ſatis; apud alios multò plura, quæ compendiosè procedentes conſultò relinquimus.

DE IRREGVLARITATE.

IRregularitas eſt impedimentum à iure Canonico inſtitutum, directè impediens acceptationem, aut exercitium ordinum eccleſiaſticorum, etiam poſt pœnitentiam; diuidi autem poteſt in quinque ſpecies, quæ manant ex quinque defectuum generibus, videlicet, corporis, animæ, lenitatis perfectæ, delicti, & ſacramenti.

Ratione igitur primæ ſpeciei irregularis eſt ille, cui deficit membrum aliquod principale, vt manus, pes, & vnus oculorum, diſt. 55. capit. 1. & vltimo; vel & digitus aliquis, & pudenda, ſi in hoc ſit culpabilis, cap. his qui, & ſequ. ead. diſtin. & inſuper imbecillitas, vel defectus cuiuslibet membri inhabilem facientis ad celebrandum, ſaltem ſine notabili horrore deformitate, vel ſcandalo, reddit irregularem, ſiue incurratur ob culpam, vel abſque ea; idemq; de mem-

membro ſuperuacaneo, ſeu nimis grandi dicendum, cap. pen. & fin. de corp. vit. promoti autem ad ſacerdotium, licèt ſacra, ſic affecti, facere nequeant, alia tamen ſacerdotis munera licitè facient, vt v. g. confeſſiones audire &c.

Ampliùs illegitimus omnis, ætate debita carens, lepra infectus, morbum caducum patiens, arrepticius, à dæmone obſeſſus, hermaphroditus, mulier, ſeruus, infamis tam facti, quàm iuris infamia, & qui vinum bibere non poteſt, quin euomat, omnes ſunt irregulares, vt ex decretis fit compertum.

Ad ſecundam ſpeciem reducuntur illiterati omnino, infideles, hæretici, & recenter conuerſi, cap. illiteratos. 36. d. cap. 1. & 3. de presb. non bapt. & c. 1. & 2. 48. d. & ca. 2. §. hæret. de hæret. in 6.

Cauſa defectus lenitatis perfectæ eſt ille irregularis, qui hominem deformat in caſu licito, alio quam infirmitatis, aut dat cauſam proximam deformandi aliquem, aut ſaltem, vt citiùs deformetur, quàm alias eſſet deformatus, extra neceſſitatem ineuitabilem ſuæ vitæ defendendæ: vnde ob id irregulares ſunt Iudices iuſtè procedentes, accuſatores, ſeu promotores, fiſcales, teſtes, & notarij ſententiam ſanguinis ſcribentes, vel pronuntiantes, aut teſtimonia teſtium ſcribentes, aut cùm publicantur legentes, ſcribentes etiam, vel dictantes literas

ras, quibus iubetur deformatio, agentes, aut procurantes contra reum deformationem patientem, Aſſeſſores, & omnes alij officiales in cauſa ſanguinis, capit. 5. & 9. Ne clerici vel monachi, & alijs in locis: Per deformare; verò intelligimus occidere, vel mutilare. Qui deformat alium ob defenſionem iuſtam vitæ alterius, etiam patris, aut matris, etiam in bello iuſto, aut ob defenſionem ſui honoris, & bonorum, aut proximi, licèt id iuſtè faceret, tamen irregularis eſt, ſolus enim ille, qui neceſſitate ineuitabili ſuæ perſonæ deformat, excuſatur, & excipitur. clement. pri. de homicid.

Ob delictum fit irregularis ille, qui ſeipſum, aut alium hominem illicitè deformat, aut cauſam propinquam illicitam illius, aut ſuæ anticipationis præbet. Vnde iubentes, facientes, ratificantes, & iuuantes ad deformandum, vel dantes arma, ſeu ducentes ea intentione ad locum, vbi ſunt inimici ad deformandum ipſum parati, conſulentes etiam, & præmium ob id pollicentes, ſi actu deformatio ſequatur ſunt omnes irregulares. In deformatione merè caſuali, ſi abſit culpa, nemo fit irregularis; amentes, infantes, & dormiẽtes hac ligari nequeunt. Clem. cap. vnic. de hom.

Ebrij verò citra ſuam culpam ſimiliter deformando non fiunt irregulares, ſecùs tamen, ſi cul-

pa

Digitized by Google

pa ſua inebriatus fuit: Medicus item nollens curare infirmum, qui ob id moritur; diues non paſcens, vel non veſtiens, fame, vel frigore morientem; & qui, cùm poteſt, non defendit, quem occidunt, vel mutilant (niſi id ad ipſum ſpectēt, vt ſunt Iudex, eiuſque officiales) non incurrunt irregularitatem, licèt peccent; ſecùs eſt tamen in illo, qui auertit aliquem à liberando alio ab iniuſta deformatione, argu. cap. ſi quis. 50. d. ex eius enim opere illicito ad eam ordinato ſecuta eſt, licèt ex ſola complacentia, quòd quis deformetur, nemo irregularis fit.

Excommunicatus, ſuſpenſus ab officio, vel diuinis, ac interdictus non abſoluti, & facientes ſe ordinari, vel ordinati miniſtrantes in ordine ſacro fiunt irregulares ſecundum omnes: ſimiliter irregularis eſt, qui notorio crimine, enormi, & digno depoſitione notatur, Item ordinatus per ſaltum ſcienter, vtenſque seriò ordine ſacro, quem non habet: bis baptizatus, & bis baptizans ſcienter. cap. eos, de conſ. d. 4. non autem bis confirmatus, vel ordinatus, quia iura non id exprimunt, licèt grauiſſimè peccet.

Poſtrema irregularitatis ſpecies, ratione ſacramenti eſt bigamia, quæ triplex eſt vera, cùm quis duas veras vxores habuit, & cognouit, alteram mortua altera, etiamſi antequàm eſſet Chriſtianus, vnam, vel ambas habuerit. Interpretatiua eſt, cum contrahitur cum vna ſola, ſed vidua,

Digitized by Google

aut cum corrupta per alium, idem etiam ſi virginem acceperit, quam poſt adulterium commiſſum cognouit ſcienter; Similitudinaria eſt, quam incurrit ſacro ordine inſignitus, vel voto ſolemni adſtrictus, cum aliqua etiam vnica cõtrahens, & conſumans, licet illa virgo ſit & verè non contrahat validè, tamen habet effectum.

Irregularitates tolli non poſſunt ab alio quàm Roman. Pont. & Epiſcopo, ſi proueniant ex delicto occulto, (homicidio voluntario excepto) per Concil. Trid. in non prouenientibus ex delicto nemo (Papa excepto) poteſt ſe intromittere; in nullis autem diſpenſant confeſſarij, etiam cum prodeunt Indulgentiarum litteræ, niſi id ſpecialiter concedant nominando irregularitates, non generaliter dicendo pęnis, & cenſuris quibuslibet abſoluere, quia (vt ſup. diximus) illorum abſolutionem tantum ordinariè concedit, quæ abſolutionem à peccatis impediunt, ac cõmunionem. De irregul. apud plurimos authores quamplurima, quæ videas licet; nos ſatis.

DE ALIIS INTERROGATIONIbus ante confeſſionem faciendis.

PErſpecto, confeſſarius, ꝙ peccator nullo ſit crimine, vel Eccleſiaſt. cẽſura Max. Pont. aut alijs prælatis ſpecialiter reſeruata irretitus, poſtulet,

let, poſtremamne confeſſionē eo peregerit propoſito, vt peccatis ſe abdicaret, Deoq; ſe addiceret, ſi etenim tunc temporis huiuſcemodi fuit prorſus intentione priuatus, nulla ipſo iure extitit confeſſio, ac inanis; & idcirco erit illi neceſſariò iteranda; id attamen tunc neceſſarium facere non cenſemus, ſi eo temporis aliquali huius rei propoſito imbutus fuerit, licèt non tam intenſo, quòd contritionis illud nomine donare queamus, ſed attritionis tantummodò; quæ & ſi dolor ſit admodum imperfectus tamen accidentibus eccleſiæ clauibus, vtplurimùm ita perficitur, quòd etiam contritionis nomen ſibi vendicat, & aſſumit.

Hoc habito petat poſtmodùm, ſi confeſſario fuerit approbato ſeu peccata confeſſus, & tali, qui ipſi valuerit abſolutionis beneficium impertiri: quiq; ea ſaltem extiterit ſcientia præditus, quòd per ſeipſum rectè lethalia diſcernere peccata potuerit; hæc namque ſi abfuiſſe certò comperias, peccatori, quod primitus etiam diximus, neceſſariò faciendum, videlicet ea erunt tibi in confeſſione iterum propalanda peccata; niſi poſteriori caſu confitens peccator notitiam optimè calluerit peccatorum, doctrinaque ſua confeſſarij ſuppleuerit ignorantiam, tunc etenim à confeſſionis iteratione ceſſandum, ſi tamen cõfeſſarius audiendi peccata poteſtatem habuerit, & ſoluendi; his namq; carentibus nihil factum extitit,

extitit, ideoq; renouanda tali erit confeſſio peccatori, cùm ab eo nequierit abſolutionis donum obtinere.

Et hic obiter aduertendum, quòd nullos poſſunt parochi, intra ſuæ parochiæ terminos domicilium non habentes, abſoluere, niſi ab eius parocho id faciendi facultas in primis fuerit impetrata, ſecùs id tamen eſſe compertum eſt in Regularibus ab ordinario approbatis, qui omnium etiam alterius Diœceſis hominum ad ſe venientium licitè confeſſiones audire, abſoluerēq; valent, propter priuilegia, ac Apoſt. indulta, quibus ſpecialiter munitos eſſe notiſs.

His peractis pœnitentem poſcat deinde confeſſor, ſi ea acceſſerit diſpoſitione munitus, vt peccata velit cuncta in poſterum omnimodè deuitare, omnéſque illorum occaſiones ſibi notas declinare pro poſſe; & inſuper an de commiſſis delictis doleat, vel ſaltem, ea firmiter cauere proponens, quòd de ipſis dolorem concipere nequeat, contriſtetur; quæ tamen & ſi certò cōfeſſario videantur abeſſe, ad huiuſmodi nihilominùs eum inducat hortando, ipſiúsq; peccata patienter audiat monita ſalutis debita interponendo: omnium autem cùm fuerit peracta confeſſio, ſi eum adhuc videat priori pertinacia laborare, non abſolutum eum à ſe, vt blandiſſimè poterit tractatum, dimittet, aliqua ei (ſi tamen redire placuerit) propoſita pœnitētia ſalutari,

tari, quæ eum in ſui erroris cognitionem, peccatorumq; deteſtationem quamprimùm inducere poſſit.

Idem omnino etiam fieri debere cenſerem, cùm quis confeſſionem adierit nulla prorſus ſuper perpetratis criminibus conſideratione habita; vel ea tam forſan exigua, quòd nulli, & inani ritè valeat comparari, hęc namq; hominem indicant nullatenus fore contritum, & nullum de peccatis concepiſſe dolorem.

Bene diſpoſitum, ergo, deniq; peccatorem commonefaciat confeſſarius, vt per ſe ſua incipiat facinora reſerare, quod quidem ſi ex ſeipſo non interrogatus ob ignorantiam ſuam facere neſcire reſpondeat, vt potè libentiùs petitis, & requiſitis reſponſa daturus, illum ea ſaltem, propalare procuret, quæ, vt grauiora, magiſque conſueta, ſuæ memoriæ tunc temporis adeſſe cognoſcet, poſtulandis poſtmodùm, ac requirendis affirmatiuè, vel negatiuè, quid fecerit, reſponſurus; quodquidem etiam peccatorem ea lege facere oportet, vt peccatorum numerum, cæteraſque neceſſarias circunſtantias, ac aptæ confeſſioni requiſitas certò ſciat ſe manifeſtare debere, cùm earum reminiſcetur, & confeſſarium petere obliuiſci perſpiciet; Idque propterea, vt ſacerdos infirmitati, peccatiſque congruam valeat adhibere medelam, & omnem ab anima noxium fugare liuorem.

DE

DE COGNITIONE PECCATI.

SECVNDA PARS DE ORDINE, *quo examinandus eſt peccator.*

QVoniam plenitudo legis eſt dilectio (vt dicit Apoſtolus) Et dilectio eſt duplex, ſcilicet Dei, & proximi, ideò omnia præcepta decalogi per duas tabulas diſtinguimus. Quarum prima continet præcepta, quæ pertinent ad charitatem Dei. Secunda autem ea, quæ pertinent ad charitatem proximi; quicunque enim vult bene viuere in aliqua communitate, primò debet bene ſe habere erga principem illius communitatis, deinde erga cōſubditos ſuos; & hinc poſſumus intelligere, quãdo aliquod peccatum eſt mortale, & quãdo eſt veniale ex genere ſuo: Id enim, quod eſt contra charitatem Dei, vel proximi, eſt peccatum mortale, nam charitas, & mortale peccatum ſunt cōtraria directè; quia charitas Deum reſpicit tanquam finem vltimũ, peccatum verò mortale ab hoc fine auertit hominem, & facit, vt finem conſtituat creaturam: verbi gratia, blaſphemia eſt ex genere ſuo peccatum mortale, quia contrariatur charitati Dei; ſimiliter inuidia, quia contrariatur charitati proximi. Veniale verò peccatum ex genere ſuo dicitur illud, quod non eſt contra, ſed

præter charitatem, vt inanis gloria de actu virtutis, quando in eo non ponitur finis, eſt ex genere ſuo veniale, quia non eſt directè contra Dei: nec contra proximi charitatem, ſed præter. Sicut ſi quiſpiam Romam proficiſcens diuerteret paululum à via recta eũdo per agrum, & tandem reuerteretur ad viam. Eſt etiam veniale peccatum id, quod ex ſuo genere eſt mortale, quando non habet ſuam perfectionem, quia videlicet non peruenit vſque ad conſenſum. Item, quod ex genere ſuo veniale eſt, poteſt effici mortale per aliquam circunſtantiam aggrauantem in infinitum. Dicitur autem circunſtantia aggrauare in infinitum, quando eſt directè contra aliquod præceptum obligans ad peccatum mortale, ſiue contra charitatem Dei, vel proximi. Et talis circunſtantia dicitur trahere actum ad aliam ſpeciem peccati, & eſſe de neceſſitate confeſſionis; Verbi gratia, comedere aliquid plus, quàm ſit corpori neceſſarium, eſt peccatum veniale: ſi autem hoc fit ad luxuriam nutriendam, iam peccatum illud agrauatur in infinitum; quia meretur pœnam æternam, eò quòd additur circunſtantia, quæ eſt contra præceptum (non Mœchaberis) & trahit ipſum in aliam ſpeciem, quia iam eſt peccatum Luxuriæ, potiuſquàm Gulæ. Quando ergo peccator confitetur ſuum peccatum, conſidera ſtatim, ſi eſt ex genere ſuo mortale, an veniale

per

Digitized by Google

per ea, quæ dicta ſunt. Si eſt veniale, cogita, ſi habet aliquam circunſtantiam aggrauantem in infinitum, vel plures, quia omnes ſunt de neceſſitate confeſſionis. Si autem eſt mortale ex ſuo genere, conſidera ſtatim, ſi habet ſuam perfectionem, quia ſic omnino eſt mortale: Et tunc etiam cogita, ſi habet circunſtantias trahentes ad aliam ſpeciem. vt putà, Si furatus eſt aliquid ſacri, vt putà calicem, quia ſic non ſolùm peccatum eſſet in ſpecie furti, ſed etiam in ſpecie ſacrilegij. Similiter ſi actus eſt indifferens, quia, ſcilicet, poteſt eſſe bonus, & malus, vt putà, ornare ſe decenter poteſt eſſe bonum, & malum, Interrogandum tunc eſt, quo fine hoc fecit, & conſiderandæ erunt circunſtantiæ, quibus poteſt actus trahi ad diuerſa peccata, maximè autem interrogandum eſt in huiuſmodi de fine, quia finis dat ſpeciem actibus moralibus. Per hæc ergo poteris cognoſcere peccata quando ſunt mortalia, & quando venialia. Nam hac diſtinctione bene intellecta, & præceptis Dei, & Eccl. bene cognitis, & memoratis, facilè poteris inuenire quo modo (verbi gratia) curioſitas ſit veniale peccatum, quomodo mortale, Et hoc idem intelligo de multis alijs, vt de choreis, de iactantia, de contentione, de hypocriſi, & ſimilibus, quæ ex fine, & alijs circunſtantijs penſanda ſunt. Quia ergo Deo ſicut, & cuilibet regi, ſeu principi tria de-

bemus, ſcilicet fidelitatem, honorem, & famulatum; ideò prima tabula principaliter continet tria præcepta, ad quæ poſſunt reduci omnia alia præcepta, quæ ad charitatem Dei pertinent. De peccatis ergo quæ ſunt contra priorem tabulam interrogandum eſt primò; deinde de his, quæ contra poſteriorem. Cùm ergo primum præceptum primæ tabulæ pertineat ad fidelitatem, dicente Domino Exod. 20. (Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis coram me Deos alienos, &c.) contra hoc præceptum tribus modis poteſt homo peccare. Primò per infidelitatem (ideſt) per negationem fidei. Secundò per infidelitatem, eò quòd non ſeruat vota promiſſa. Tertiò, per infidelitatem, eò quòd per ſuperbiam non ſeruat ſtatum à Deo ſibi determinatum, quia initium ſuperbiæ eſt apoſtatare à Deo. De iſtis ergo interrogandum eſt in primo præcepto.

DE PRIMO PRAECEPTO.

PRo priori præcepto notandum eſt, quòd fides eſt habitus, ſeu lumen intellectus ſupernaturale; quo homo firmiter credit omnia, quæ in ſacra ſcriptura canonica manifeſtantur, & omnia, quæ Eccleſia ſancta Catholica Romana determinauit ab omnibus indubitanter eſſe

creden-

Digitized by Google

credenda. Quam fidem omnes tenentur habere, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo (vt dicit Apoſtolus Paulus) Primò ergo, qui non credit ſacræ ſcripturæ, vel ijs, quæ ſancta Eccleſia determinauit, vel determinabit eſſe credenda: vel aliquem articulum fidei, aut aliquid ſacrarum ſcripturarum negat, vel negauerit, vel de his dubitauerit, dubitationi ipſi aſſentiendo, quòd omnes tenentur iſta credere, & firmiter eis inhærere. Item qui diſputat de Fide, aut conuerſatur cum infidelibus cum expreſſo animæ ſuæ, & proximi periculo (quod prudentia confeſſoris iudicabit) peccat mortaliter, quia agit contra charitatem, non curans de ſua, & proximi ſalute. Eſt etiam ab Eccleſia prohibitum comedere cum Iudæis, & bibere, ac ſe balneare in eodem balneo cum eis, & curari ab eorum medicis; & tunc videtur eſſe mortale, quando homo monitus non vult ab hoc deſiſtere, quia tunc apparet, quòd firmat animum contra præceptum Eccleſiæ. Et propter eandem rationem peccat mortaliter, quando non ignorans præceptum ipſum, contemnit expreſsè, vel etiam interpretatiuè, dum ſcilicet non curat de eo, ſed ſequitur propriam voluntatem.

DE VOTO.

VOti diffinitione perſpecta, erit facile ſoluere omnes caſus eius; diffinitur autem ſic. Votum eſt promiſſio facta Deo de meliori bono: vbi notandum, quòd ad promiſſionem requiritur deliberatio, & propoſitum, quibus non aduenientibus non poteſt dici promiſſio, neq; votum. Deliberatio autem eſt, quando homo cogitat, ſi vult, vel expedit ei facere votum; & tandem ſi vult facere votum, cogitat, quod votum debet facere; poſtquam autem de vno voto cogitauit, ſi proponit ſe velle illud facere, tunc eſt in ſecundo requiſito ad votum, ideſt in propoſito, nondum tamen eſt votum; ſed quando facta deliberatione, & propoſito, promittit Deo illud, quod deliberauit, & propoſuit; tunc eſt votum, ſiue hac voce exprimat, ſiue non.

Et ideò nota quòd, quæ in anguſtijs fiunt, vel ex animi leuitate, ſi ſubito ex aliqua paſſione intellectum obnubilante, & indeliberatè fiant, non tenent; ſecùs ſi cum deliberatione etiam in breuiſſimo tempore adueniente facta eſſent; nam deliberatio, cùm ſit actus mentis, poteſt citiſſimè fieri, dummodò ratio ſit libera; Et quò ad hoc requiritur prudentia confeſſoris, qui conſideratis diligenter omnibus circunſtantijs conſultat, quid faciendum.

Secun-

Secundò nota, quòd, cùm votum ſit promiſſio, & nemo poſſit promittere, quod non eſt in ſua pô teſtate, ſi quis promiſit non ſuum, non eſt obligatus, niſi ille conſentiat, cuius eſt id, quod promittitur, ideò vota religioſorum non tenent. Et hæc eſt verior opinio, quamuìs quidam dicant, quòd poſſunt facere quædam vota orationum, vel quędam, quæ non impediunt obedientiam; quia religioſus per aliquod tempus ſeipſum nō habet in ſua poteſtate, & nemo poteſt promittere, quod non eſt ſuum, ita tenet S. Thomas; ſimiliter nec vota ſeruorum, nec coniugum, nec filiorum familias valent, quoniam promittunt ea, quæ non ſunt ſui iuris, ſed eorum, in quorum poteſtate ſunt, vt cùm promittunt facultates patris, vel domini ſui; ſecùs, ſi promittunt caſtitatem Deo poſt annos pubertatis: oportet enim, quantùm ſpectat ad propoſitum, ſemper conſiderare. ſi ille, qui vouit, promiſit id, quod eſt in ſua poteſtate, quia tunc votum tenet, alioquin nihil valet votum, niſi conſentiat Dominus rei: ideò ſi coniux fecit votum caſtitatis ſine conſenſu viri, vel vir ſine conſenſu vxoris non tenetur (quia vt dicit Apoſtolus) vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, nec mulier habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir.

Tertiò, nota, quòd hæc promiſſio poteſt fieri dupliciter, ſcilicet, cum conditione, & ſimpliciter ſine conditione. Si ergo fiat cum condi-

tione, ſi non aduenìat conditio, nō obligat, quia conditionalis non ponit ineſſe. Si autem aduenìat conditio obligat ex præcepto.

Quartò nota, quòd cùm votum ſit actus latrię, propriè ad Deum ſolum pertinet: cùm ergo ſanctis fiunt vota intelliguntur facta Deo, vt ſancti orent pro ipſis vouentibus, ideò omnis tranſgreſſio voti eſt peccatum mortale; nam ſi promiſſio facta hominibus obligat, multò magis promiſſio facta Deo obligabit.

Item nota, quòd cùm votum de meliori bono eſſe debeat, votum dici non poterit, ſi ſit de malo, nec obligauit, quinimò peccat vouens; & qui facit votum promittendo facere aliquod peccatum mortale, mortaliter peccat. Et ſimiliter credo illum peccare mortaliter, qui facit votum peccādi venialiter, quia promittit id, quod malum eſt, hoc autem eſt magnam irreuerentiam facere Deo. Qui autem facit votum, non facere aliquod ſpirituale, bonum, ad quod aliàs non tenetur, non leuiter peccat, ſicut ſi aliquis faceret votum non intrandi religionem, aut non acceptandi prælaturam, vel non prædicandi. Et ratio eſt, quia firmat animum ad non faciendum illud bonum, ad quod fortaſſe Spiritus Sanctus ipſum inducet, vel etiam obligabit.

Nota etiam, quòd cùm dicitur, de meliori bono, per melius bonum intelligitur etiam illud bo-

num,

num, ad quòd aliàs obligantur. Qui ergo fecit votum promittendo ſeruare aliqua præcepta, ad quæ priùs tenebatur, vt ſunt præcepta iuris diuini, & naturalis, per huiuſcemodi votum ita obligatur, vt ſi fregerit illud, reus ſit tranſgreſſionis voti, & præcepti; & ſubinde non ſufficeret tali tranſgreſſori culpam ſine voti circunſtantia confiteri.

Vota verò ſtulta, vt de non pectinando caput tali die, vel de non comedendo caput piſcis, vel huiuſmodi, potiùs ſunt irridenda, quàm ſeruanda, quia bonum, de quo eſt votum, debet cedere in honorem Dei, vel ſaltem animæ propriæ, aut proximorum vtilitatem.

Item nota, quòd cùm votum ſit promiſſio facta Deo, nullus homo propriè poteſt diſpenſare, aut commutare vota. Poſſunt tamen Prælati Eccleſiæ quandoque hoc facere conſideratis conditionibus perſonæ, & temporis, & aliorum, quæ ad hoc requiruntur. Diſpenſatio autem facta ſine legitima cauſa (quæ eſt impeditiua, vel per quam impediretur maius bonum ex obligatione voti, vel ſequeretur aliquod malum) non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio: ideò ſic diſpenſatus, ſicut priùs, ita & poſt, remanet obligatus. Similiter commutatio debet fieri per æqualia, conſiderata tamen conditione perſonæ, & facultate, & alijs, quæ ad hoc requiruntur, vt putà, ſi quis habet votum

peregri-

peregrinationis, & commutari oportet, debet ille talis erogare pauperibus, vel in aliquod pium opus expendere tantum, quantum expendiſſet, ſecundum conditionem ſuam eundo, ſtãdo, & redeundo; & pro labore itineris iniungenda ſunt ei ieiunia, & orationes.

Iſtis ergo ſic notatis, facilè poteris ſoluere omnes caſus, quos ponunt iura, & doctores in libris ſuis, quia & ipſi huiuſmodi fundamentis innituntur.

INCIPIT PRIMA INTERROgatio de peccatis.

DE SVPERBIA.

SVperbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ. Inordinatus autem dicitur, quia egreditur regulas à Deo præfixas, vt putà, quia homo non eſt cõtentus de ſtatu ſuo inferiori, ſed inordinatè quærit aſcendere, vel vult in alto ſtatu ſupra virtutem ſuam permanere, non curans de ordinationibus diuinis, quod eſt peccatum mortale ex natura ſua; poteſt tamen eſſe veniale ſecundum primos motus, ſed ſi homo nullo modo curat de ordinationibus diuinis, vel dedignatur ſubijci eis, vel nollet Deum poſſe ipſum coercere, vt conſequi poſſet excellentiam, quam

quā deſiderat, & mortaliter, & grauiter peccat.

Habet autem ſuperbia quatuor ſpecies videlicet.

Prima ſpecies eſt, cùm homo exiſtimat id, quod habet, non habere à Deo, ſed à ſeipſo, & à propria virtute, & ſi hoc expreſsè exiſtimat, peccat mortaliter, & eſt hæreticus; Quidam tamen quamuís dicant omnia ſe habere à Deo, tamen, vel nunquam, vel rarò, hoc cogitant, & ita de propria virtute, & proprijs operibus inflantur, ac ſi non hæc omnia recepiſſent à Deo. verùm difficile eſt videre, quando hæc eorum ſuperbia ſit peccatum mortale; ſignum tamen, quòd ſit peccatum mortale, eſt, quando laudes hominum ſemper retorquent ad ſeipſos, & nunquam, vel rariſſimè referunt eas ad Deum, vel quando in ſpecie ita gloriantur, vt nunquam reuocent animum ad Deum.

Secunda ſpecies eſt, quando homo ea, quæ habet, credit quidem ſe habere à Deo, ſed ex proprijs meritis, & in hoc multi ſubtiliter decipiuntur, ſed difficile eſt etiam videre, quando id ſit mortale.

Tertia ſpecies eſt, quando homo ita inflatur, vt exiſtimet ſe habere, quod non habet, vt cum exiſtimat ſe doctum, vel ſanctum, vel idoneum ad aliqua officia, cùm in omnibus tamen decipiatur. Ex qua ſpecie naſcitur præſumptio, ſecundum quam poteris habere ſigna, quando eſt peccatum mortale transgreſſio ſuperbiæ

huius

huius ſpeciei, vt putà, ſi quis exiſtimaret ſe idoneum ad regendas animas, vel aliquis ignarus doctor legum ad defendendas cauſas difficiles, vel medicus inſcius ad curādas infirmitates graues; & ſic de alijs officijs, vbi imminet periculum aliquod, maximè autem periculum animarum, quia ſic appareret ſignum ſuperbiæ, quæ eſſet peccatum mortale, maximè quando ſe ingerunt ad hæc officia, & opera, tunc enim expreſsè videtur mortale.

Quarta ſpecies eſt, cùm quis appetit ſingulariter apparere deſpectis cæteris, & ex hac naſcitur inuidia, ex qua poteris videre quando hæc ſpecies eſt peccatum mortale. Nam quando videbis, quòd homo ita appetit ſingularitatem, quòd non vult aliquem ſuperiorem, vel æqualem, & triſtatur de excellentia aliorum, & quærit obfuſcare famam eorum, tunc ſignum eſt, quòd peccat mortaliter ſecundum hanc quartam ſpeciem.

In huiuſmodi tamen iudicijs, vbi non apparet expreſsè peccatum mortale, non facilè eſt præcipitanda ſententia; opportet enim confeſſorem committere multa Deo, qui ſolus eſt ſpirituum ponderator, & affectiones interiores ipſe ſolus perfectè cognoſcit.

DE

DE HIS, QVAE CONTRARIANtur ſecundo Præcepto.

CONtra ſecundum præceptum, quod eſt de honore diuino, poteſt dupliciter fieri, vel indirectè, ſcilicet per inanem gloriam, per quam ſibi homo vſurpat honorem, quem deberet ad Deum referre; vel directè, & hoc dupliciter, ſcilicet vel per facta, & hoc modo contrariat ei ſacrilegium; vel per verba, & hoc quoque dupliciter, vno modo generaliter, per quamlibet Dei vanam nominationem; alio modo ſpecialiter, contra aliqua ſpecialia attributa diuina: & hoc tripliciter, nam contra potentiam, quæ attribuitur patri, eſt adiuratio; contra ſapientiam autem, & veritatem, quæ attribuitur filio, eſt periurium; contra bonitatem verò, quæ attribuitur ſpiritui ſancto, eſt blaſphemia.

Interrogandus eſt ergo peccator ſi aſſumpſit nomen Dei in vanum generaliter, vt putà, deſpiciendo, irridendo, vel alio modo turpiter nominando Deum, vel ſanctos, vel ſacram ſcripturam, vel diuina officia, & miſſas, quia ſic peccauit mortaliter. Quando autem non multum irreuerenter nominat Deum, vel ſanctos, ſeu ſacram ſcripturam, & cætera ſacramenta Eccleſiæ propter leuitatem, erit veniale. Vbi ergo non apparet expreſſus contemptus, neque

magna irreuerentia, ſemper indicat eſſe veniale peccatum.

Secundò interrogandus eſt de blaſphemia, quæ eſt derogatio excellentiæ bonitatis Dei, vt cum videlicet tribuitur Deo, quod ei non conuenit, vt cùm dicitur, quòd eſt iniuſtus, vel negatur de eo, quod ei conuenit, vt (verbi gratia) cùm negatur ipſum habere prouidentiam de hominibus; quod eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia eſt contra charitatem Dei, veniale autem eſſet ex ſurreptione, vt quando homo neſcit, quid dicat, ſed fugit verbum de ore eius. Poteſt etiam blaſphemari Deus in corde tantũ ſine voce, & hoc dupliciter, vel intellectu tantùm, vt cùm quis credit Deum non eſſe trinum, vel eſſe iniuſtum, vel aliquid huiuſmodi, vnde omnes hæretici blaſphemant Deum; vel affectu tantùm, vt cùm quis ex ira, vel aliqua paſſione ita dicit in corde ſuo, ſicut damnati; vel intellectu, & affectu, cùm quis habet falſas opiniones de bonitate diuina, & ex impetu paſſionis Deum blaſphemat.

Interrogandus eſt etiam de blaſphemia in ſpiritum ſanctum, vt putà, ſi deſperauit de miſericordia Dei, vel ſi nimiùm præſumpſit, aut ſi inuidit, vel doluit de multiplicatione gratiæ diuinæ, & bonorum omnium, vt licentiùs poſſet peccare, aut malitioſè contradixit veritati, aut non pœnitere ſtatuit de præteritis peccatis, aut

firmat

firmat ſe obſtinatè perſeuerare velle in futuris: ſex enim ſunt blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum videlicet, deſperatio, præſumptio, inuidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, impœnitētia, & obſtinatio: quæ omnia ſunt mortalia peccata ex genere ſuo, & grauiſſima, & quando habent ſuam plenitudinem, ſeu perfectionem, ideſt expreſſum conſenſum, quia ſunt expreſſe contrà charitatem Dei, & proximi.

Tertiò interrogandus eſt pœnitens de periurio. Sed notandum, quòd iuramentum eſt inuocatio diuini teſtimonij ad aliquid cōfirmandum, vt tollatur controuerſia; & quia Deus ſuper omnia eſt excelſus, ideò non eſt vocandus in teſtimonium pro leui cauſa, qui ergo leuiter iurat ſemper peccat, non tamen ſemper mortaliter; & quia Deus eſt ſumma veritas, non eſt vocandus in teſtimonium falſitatis, imò qui iurat mendacium, quodcunque ſit illud, ſiue paruum, ſiue magnum, quocunq; etiam iuramento, ſiue dicat per fidem, ſiue per crucem, vel alio modo, quando aduertit iurare falſum, peccat mortaliter, ſecùs ſi ex inconſideratione iuraret. Debet etiam, quia iurat ſe aliquid facturum, habere intentionem faciendi illud; nam aliter quando iurat ſe facturum, quod non intēdit facere, peccat mortaliter; & quicunque iurat; vel ſub iuramento aliquid promittit, tenetur ſeruare iuxta poſſe ſuum, quod promiſit, propter honorem

rem Dei, qui fuit in teſtem vocatus; niſi poſteà appareat, quòd vergit in detrimentum ſalutis æternæ. Similiter, quia Deus eſt ſummè bonus, non debet vocari in teſtimonium alicuius rei illicitę, & ideò qui iurat facere aliquod illicitum, etiam ſi ſit peccatum veniale, peccat mortaliter propter magnam irreuerentiam, quam facit bonitati Dei.

Grauiter etiam peccat, & fortè mortaliter, qui iurat ſe non facturum aliquod boni, quamuis ad illud non teneatur, ſicut dictum eſt ſuprà de voto; & ideo talia iuramenta non ſunt ſeruanda, imò qui iurat ſe facturum aliquod illicitum, ſtatim eſt periurus, & mortaliter peccat. Iuramentum enim debet aſſociari à iudicio diſcretionis, & iuſtitia, & veritate ſicut ſcriptum eſt. Hier. 4. c. & iurabis (inquit) viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & in iuſtitia.

Et nota, quòd non poteſt diſpenſari in iuramento ſine legitima cauſa, vt diximus etiam ſuperiùs de voto, & diſpenſatio pertinet ab Epiſcopum ſecundum ſanctum Tho. 2. ſecundæ quæſt. 89. art. 9. quando eſt dubium, an ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nociuum, quando verò eſt licitum, apparet tamen eſſe impeditiuum alicuius magni boni diſpenſatio pertinet ad Papam, licèt quidam dicant, quod etiam Epiſcopi in hoc poſſunt diſpenſare.

Quartò interroga de adiuratione. Adiurare autem

eſt,

eſt aliquem ad aliquid obligare, per reuerentiam nominis Dei, vel alicuius ſancti; ſi quis ergo non ſubditum ſuum adiurando intendit obligare per reuerentiam nominis Dei ad aliquid, ſicut obligatur quis per iuramentum, vt putà, quia ſcit illum tantam reuerentiam habere ad Deum, vel ad Virginem Mariam, quod nullo modo adiuratus per nomina eorum non faceret, quod poſtulatur, videtur mortaliter peccare, cum vſurpet ſibi poteſtatem, quam nō habet; ſecùs ſi non intenderet ipſum obligare, ſed per nomen Domini rogare.

Quintò interroga de ſacrilegio, quod eſt violatio rei ſacræ, vel loci ſacri, ſeu perſonæ ſacræ; vt cùm furtum committitur in eccleſia, vel frangitur locus ſacer, vel percutitur perſona ſacra; & eſt mortale communiter. poſſet autem eſſe veniale in rebus parui valoris, vel in percuſſione leui, & ſimilibus.

Sextò, & vltimò interroga, de inani gloria, quæ eſt inordinatus appetitus gloriæ humanæ, quæ vana eſt; & eſt peccatum veniale ex genere ſuo, quia non eſt expreſsè contra charitatem, ſed potiùs præter eam: poteſt tamen eſſe etiam mortale, vt ſi quis gloriam de aliquo quæreret, quod eſſet contra honorem Dei, vt putà de aliquo peccato mortali, vel quando in ea finem vltimum conſtitueret quis; vel cùm præfert DEO illud, de quo gloriatur; vel etiam

Digitized by Google

cùm teſtimonium hominum præfert teſtimonio Dei &c.

DE CONTRARIANTIBVS tertio Præcepto.

TErtium præceptum eſt partim mortale, partim verò cerimoniale. In quantum eſt mortale præcipit, vt exhibeatur debitus cultus Deo: in quantum verò eſt cerimoniale, partim eſt negatiuum, vt cùm præcipit, quòd in die feſto non fiat opus ſeruile; partim affirmatiuum, vt cùm præcipitur, quòd in diebus feſtiuis audiatur miſſa, & quòd Deo exhibeatur cultus ſecũdum determinationem à Deo factam, vel per ſemetipſum in ſacramẽtis, vel per inſtitutionem Apoſtolorum, vel per ſtatutum eccleſiæ, vel conſuetudinem eius.

Vt ergo ordinatè procedam incipiendum eſt ab his, quæ contra hoc præceptum fiunt in quantum eſt mortale, inquantum enim eſt huiuſmodi, præcipit primò interiorem cultum per deuotionem, orationem, contemplationem, gratiarum actionem, diuinamque laudem, de quibus omnibus poteſt peccator interrogari, ſicut expedit.

Nota ergo quòd præceptum affirmatiuum non obligat ad ſemper, & ideò quamuìs cuilibet præcipiatur, quod per prędictos actus exhibeat

cultum

cultum Deo, non tamen alicui præcipitur, quòd ſemper, ideſt ſingulis horis, vel momentis hoc faciat. Vnde non peccat ſemper homo, qui hoc non facit, ideſt, cùm non orat, vel non contemplatur, vel non laudat Deum, vel non ei gratias agit. difficile eſt autem cognoſcere, quando peccatur in horum omiſſione maximè mortaliter, quamuìs mortale eſſet peccatum, quando quis firmaret animum ad non exibendum talem cultum interiorem Deo iuxta ſuam poſſibilitatem; vel quando contemneret ipſum, quia firmaret animum contra præceptum Dei: Poſſet tamen tanta eſſe negligentia, quod eſſet quidam contemptus interpretatiuus, & ſic eſſet mortale. ſed cognoſcere hoc eſt valdè difficile communiter tamen eſt veniale. Quia autem prædicti actus, ideſt, contemplatio, meditatio, laus Dei, & gratiarum actio vel præcedunt orationem, vel ſequuntur; ſufficit ſeculares, maximè rudes interrogare ſolùm de oratione, an ſcilicet faciant aliquam orationem, & eos arguere de negligentia. Clerici verò interrogandi ſunt de horis canonicis, quando ſunt in ſacris, vel cùm habent beneficium, vel dignitatem; & ſimiliter religioſi, & religioſæ profeſſæ: quia dimittendo aliquam horam ſcienter peccant mortaliter, niſi vel alia magna & iuſta cauſa, ſeu neceſſitas impediant. Nouitij etiam ſecundum opinionem quorundam, videntur obli

gari ad officium, cùm eleemoſinis, & eccleſiæ bonis ſuſtententur & viuant, non tamen ita ſtrictè, ſicut profeſſi. De eis tamen non eſt præcipitanda ſententia, ſed bene debent hortari ad dicendum totum officium.

Interrogandus eſt poſteà peccator de hoc præcepto, in quantum eſt cerimoniale; & primò interrogandus eſt de ieiunio, quod eſt quoddam præparatorium, & quædam diſpoſitio ad diem feſtum deuotè celebrandum, quod fit comedendo tantùm ſemel in die hora nona, vel propè, nec illa die debent vllo modo comedi carnes, nec etiam lacticinia & oua, vbi fuerit talis conſuetudo. Poteſt tamen homo pluries bibere, & propter hoc introducta eſt conſuetudo, vt veſperi, ne vinum noceat, modicum quid comedi poſſit, quia illud non ſumitur per modum cibi, ſed potiùs per modum medicinæ.

Quilibet autem tranſacto tertio ſeptennio, ideſt anno. 21. ætatis ſuæ, tenetur ieiunare diebus ab Eccleſia inſtitutis per præceptum ipſius, vel per veterem conſuetudinem: & quoties his diebus, non legitimè impeditus, non ieiunat, vel diſponit firmiter non ieiunare, toties peccat mortaliter. Legitimùm verò impedimentum eſt, cùm quis eſt infirmus, vel mulier prægnans, vel lactans filium, ſi non poſſet ieiunare ſine magno detrimento prolis. Non enim intendit eccleſia per ieiunium impedire alia bona, vel de-

trimen-

trimenta magna corporibus, aut rebus inferre. Ideò ſi quis opifex, colonus, ſeu agricola laborando non poteſt ieiunare, ad id non tenetur, etiam ſi diues ſit, vel pauper: nec tamen ob id tenentur diuites operarij labores deſerere. Poſſet etiam quis aliqua alia iuſta cauſa à ieiunio excuſari. huiuſmodi ergo legitima impedimenta prudentia, & ſcientia boni confeſſoris iudicabit.

Secundò interrogandus eſt de operibus ſeruilibus, vt ſi fecit opus ſeruile in die feſto, per præceptum Eccleſiæ, vel veterem conſuetudinem eius loci, vel præceptum Epiſcopi cùm clero, & populo inſtituto, quia ſi eſt quid notabile, peccat mortaliter, niſi fortè neceſſitas cogat facere illud; vt cùm quis propter inundantiam aquarum colligit ſegetes, vel propter magnam neceſſitatem oporteret eum itinerare, vel propter neceſſitatem pauperum, ſeu magnam vtilitatem eccleſiæ, vel reipublicæ; ita tamen, quòd non poteſt diem feſtum preuenire, nec opus poſt feſtũ differre ſine magno diſpendio. Non enim eſt de intentione eccleſiæ in talibus caſibus quemquam obligare ad non laborandum. vnde ſi etiã faciat aliquis modicum quid, non peccat mortaliter: Euntes autem ad nundinas conſuetas, vt emant ſibi neceſſaria, imò, & qui vendunt non condemnantur de peccato mortali, ex quo prælati hoc ſciunt & tolerant; bonum tamen eſſet

trahere homines ab huiuſmodi corruptelis, & abuſionibus.

Quidam putant opus ſeruile, quod eſt peccatum, includi in hoc præcepto ſecundum ſenſum literalem, & ideò dicunt, quòd circunſtantia feſti eſt de neceſſitate confeſſionis, ita quòd homo tenetur conteri, ſi fecit tale, vel tale peccatum in die feſto; ſed mihi videtur, quòd quamuis ſit bonum ſemper confiteri peccata cùm hac circunſtantia, tamen non eſt de neceſſitate confeſſionis, nec includitur in hoc præcepto, niſi mortaliter; ſtultum enim videtur prohibere peccata in die feſto, cùm ſemper ſint prohibita.

Prohibet ergo hoc præceptum ſolùm opera ſeruilia, non ea, quæ ſunt ſemper prohibita, ſed ea tantùm, quæ aliàs fieri poſſunt. Vnde Exod. 20. dicitur. Memento, vt diem ſabbathi ſanctifices, ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, &c. Non enim diceret: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſi illis operibus includerentur etiam peccata, maximè cùm dicat omnia opera tua, qui enim dicit omnia, nullum opus excludit. Quando ergo ab aliquibus doctoribus exponitur, hoc præceptum de opere peccati, intelligendum eſt illam eſſe expoſitionem moralem, non literalem.

Tertiò interroga, ſi non adiuit miſſam, vel non

fuit præſens, dum miſſa celebraretur in die feſto de præcepto: quia quilibet tenetur audire, legitimo impedimento ceſſante, & qui non audit eam, peccat mortaliter. Grauiter etiam peccat, qui dimiſſis officijs diuinis, & prædicatione in die feſto, alijs vacat, non tamen iudicatur mortale; tamen non video quomodo poſſimus excuſare à mortali eos, qui dimiſſis officijs, & prædicationibus, totam diem expendunt in vanis luſibus, & alijs nugis, vnde ſe inuoluunt in multis peccatis. Sunt igitur iſti tales acriter reprehendendi, & prohibendi, nè talia faciant, maximè in eccleſijs, ſicut faciunt mulieres, quæ omnes vanitates deferunt ad eccleſias; & viri ſimiliter omnia turpia deferunt ad eccleſias; & ibi committunt multa peccata mortalia: vnde ſi ab huiuſmodi nolunt deſiſtere, non ſunt abſoluendi, quia non ſunt verè contriti. Et quia cultus exterior principaliter conſiſtit in adminiſtratione, & vſu ſacramentorum, ideò de tali cultu ſunt etiam interrogandi peccatores ſecundum ſtatum, & conditionem vniuſcuiuſque. Et primò de baptiſmo, qui eſt primum ſacramentum, & ianua aliorum.

Digitized by Google

DE BAPTISMO.

BAptiſmus eſt ablutio facta ſub præſcripta forma verborum. Vel (ſecundum Auguſt.) eſt tinctio in aqua, verbo vitæ ſanctificata. Aqua ergo vera, non roſacea, aut aliter ſtillata, eſt materia baptiſmi. Forma autem hæc eſt. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Interroga igitur ſacerdotes, ſi recta intentione ſecundum ritum Eccleſiæ baptizauerunt; maximè quò ad prolationem formæ; & ſecundum modum, & qualitatem erroris iudicabis de mortali, & veniali. Quia ſi reliquit ſcienter aliquid, quod eſt de eſſentia. vt putà, aliquod verbum formæ, vel addidit aliquod, quod mutabat ſenſum, vel aliter corruptè verba protulit, quòd non ſeruabant ſenſum, vel in aqua roſacea, ſeu ſtillata baptizauit, mortaliter peccauit, & qui ſic fuit baptizatus ab eo, eſt iterum ritè rebaptizandus, quia ille non fuit baptiſmus. Similiter ſi ſcienter iterauit baptiſmum etiã, quando nutrix, vel alius iam baptizauerat puerum, timens de periculo, peccauit mortaliter, quia fecit iniuriam ſacramento, & eſt deponendus ſecundum canones. Si noluit baptizare, niſi dato ſibi pretio, eſt ſymoniacus, & peccat mortaliter, & grauiſſimè; nec debet aliquis dare aliquod pretium pro ſacramento baptiſmi: conſue

tudo

Digitized by Google

tudo tamen ſeruanda eſt circa ea, quæ ſolent liberè, & gratis offerri. Si non contritus de præteritis mortalibus, ſeu in propoſito peccati mortalis quis baptizaret (maximè ſolemniter extra caſum neceſſitatis) peccat mortaliter, quia ſanctum non ſanctè tractauit, & ſe ſanctitatis miniſtrum ſine ſanctitate exhibuit. Et ſimililer qui ab excommunicatis ſuſcipit baptiſmum, vel à ſchiſmaticis, & præciſis ab eccleſia. Et quamuìs omnis homo poſſit baptizare, etiam ſi ſit Paganus, vel Iudæus; dũ modò intendat facere, quod intendit eccleſia, tamen non niſi in neceſſitate debet quis baptizare, ſi nõ ſit presbyter, qui hoc habeat officium; nec aliquis debet baptizari, nec facere alterum baptizari ab alio, quàm à ſacerdote parocho; aliter qui facit contrarium videtur peccare mortaliter, vſurpando ſibi poteſtatem, quam non habet, non cogente neceſſitate, vel communicando cum eo, qui talem ſibi poteſtatem vſurpat, & dando ei occaſionem peccandi; vnde mulier, etiam in neceſſitate, non debet baptizare præſente viro, nec laycus præſente clerico, nec minor clericus præſente maiori in ordine.

Interroga etiam viros & mulieres, ſi fecerunt ritè baptizari filios ſuos, vel ſi fecerunt baptizari; quia ſi non, peccant mortaliter; & ſunt excommunicandi; & mulieres, ſi ſine neceſſitate baptizauerunt pueros; & quando in neceſ-

ſitate baptizauerunt; interroga eas, ſi ſeruauerunt formam, ſi ſcilicet immergendo in aquam, vel aſpergendo aquam dixerunt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vel vulgari ſermone: Io ti battezo in nome del Padre, & del Figliuolo, & dello Spirito ſanto. Interroga etiam, ſi leuauit de baptiſmo proprium filium, vel filiam, vel filium vxoris ſuæ ſcienter, & non in caſu neceſſitatis, quia ſi ſic, non poſſet petere debitum; & ita intellige de vxore erga virum.

DE SACRAMENTO *Confirmationis.*

Confirmatio, etſi non ſit neceſſaria omnino ad ſalutem, contemptus tamen eius eſt damnabilis: à ſolis Epiſcopis confertur ex officio, & qui iterat hoc ſacramentum, peccat mortaliter.

Interroga ergo, ſi nimis tardauit, ita quòd adhuc non ſit confirmatus, quia eſt magna negligentia, & ſi nollet confirmari, non debet abſolui. Et ſimiliter ſi tardauit quis facere confirmari filios ſuos.

In confirmatione autem ſi vir tenet vxorem, vel vxor virum, vel filium vxoris, aut vxor filium viri, ſeu etiam filios proprios (vt dictum eſt iam ſuperius de baptiſmo) perdunt ius petendi debitum; debet tamen vterque reddere coactus.

DE

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

SAcramentum pœnitentiæ habet tres partes, quę ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio. De cõtritione interroga, an mortis naturalis, vel violentæ periculo inſtante, ea fuerit præditus, vel tempore aliquod ſacramentum adminiſtrandi, ſeu ſuſcipiendi, quia ſi non habuit, mortaliter peccauit. in his enim caſibus tenetur vnuſquiſque confiteri; & ſimiliter etiam, cùm quis vult concionari, aut aliquem actum ordinis exercere. In alijs verò caſibus non tenetur quis pœnitere, cùm præceptũ non ſit aliquod ad hoc nos aſtringens; conſuli tamen debet, vt quoties menti occurrunt prædicta ſiue confeſſa, ſiue non, toties etiam pœnitentiam de ipſis concipiamus propter Dei offenſam, & noſtræ animæ graue detrimentum, & etiam vt periculum mortis ſubitæ, æternæq; euadamus.

Confeſſio verò ſine contritione, quando homo pœnitus eſt fictus, putà quia proponit confiteri, ſed non relinquere peccata, non valet, & qui hoc facit, peccat mortaliter. Si autem dolet, ſed non habet dolorem ſufficientem ad contritionem, valet quantum ad hoc, quod non tenetur iterare confeſſionem, vt dictum eſt ſupra, & non peccat mort. Nec videtur valere, quando confitetur quis nimis generaliter, & indiſt.

nec

nec à confeſſore adiuuatur, vt quando quis non examinauit conſcientiam ſuam, vel non dicit quoties iterauit illa, ſicut hodie frequenter fiũt confeſſiones ab ignorantibus.

Accedens etiam ad communionem, vel ad alia ſacramenta, habens aliquod mortale peccatum, de quo non eſt contritus, & confeſſus actualiter, videtur mortaliter peccare, ſecundum Petrum de Palude. Similiter quilibet conſtitutus in periculo mortis, vel propter infirmitatem, vel acceſſurus ad bellum, vel nauigaturus cum periculo mortis, tenetur antè confiteri. Qui dicit mendacium in confeſſione de his, quæ ad ipſam cõfeſſionem pertinent, peccat mortaliter, quia irreuerentiam facit ſacramento; vt ſi negat ſe feciſſe, quod fecit, malitiosè, vel dicit non habeo plura peccata, & mentitur, & ſimilia; alia verò mendacia, quæ ad confeſſionem non pertinent, dummodò non ſint pernitioſa, non puto eſſe mortalia: licèt ſint gratia venialia in tali actu ſacramentalis confeſſionis. Qui dubitat veriſimiliter de aliquo peccato, an ſit mortale, vel veniale, debet illud confiteri, aliter committit ſe periculo permanendi in peccato mortali, & ſic videtur mortaliter peccare. Sicut etiam peccat mortaliter, qui aliquid committit, quod dubitat eſſe peccatum mortale, niſi fortè ſit dubitatio ſcrupuloſum, quæ ſcilicet procedit ex defectu iudicij, & quamuis conſcientia erronea li-

ger

Digitized by Google

get, debent tamen ſcrupuloſi ad conſilium aliorum deponere eam; ſicq; ſequi iudicium prudentium in hac materia (etiam ſi inſurgant motus contrarij, quibus ad dubitandum inſtigantur) & eorum determinationibus acquieſcere.

Si quis confitendo narrat peccatum alterius, & malitioſè, vel imprudenter infamat proximum de aliquo graui peccato, peccat mortaliter; niſi aliter non poſſet ſuum peccatum confiteri; in quo caſu, ſi poſſet, deberet mutare confeſſorem, niſi hoc faciat ex charitate, vt confeſſor poſſit eum reprehendere, vel pro eo orare, quando ſcilicet aliàs confeſſor eſt bonus, & prudens vir.

Quilibet autem debet confiteri proprio ſacerdoti, vel his, qui ſuper hoc habent priuilegium, vt ſunt ferè omnes religioſi hodiernis temporibus. poſſet autem in aliquo caſu quis confiteri alteri, quàm proprio ſacerdoti, vt ſi proprius ſacerdos eſſet omnino indiſcretus, vel hæreticus, vel non ſufficienter doctus, vel ad malum ſolicitans, vel fragilis ad peccandũ, cùm audit aliena peccata; vel probabiliter exiſtimatur, quòd ſit reuelator confeſſionis, vel quando peccatum eſt contra eum commiſſum, aut probabiliter timet ſibi periculum euenturum, ſi confiteretur. In his caſibus petat ab eo licentiam confitendi alteri, quam ſi non vult ei dare, recurrat ad ſuperiorem. Quòd ſi non poteſt, confiteatur

alteri in tali caſu, quia tunc eccleſia ipſum diſpenſat, vti patet in cap. placuit. de pe. diſt. 6. Et ſi etiam non hoc poteſt, vt ſæpè accidit in religioſis, confiteatur proprio ſacerdoti, ſeu prælato ſuo in communi, & in generali, maximè peccata, de quibus poſſet ſcandalum oriri; & ſufficit, quia in tali caſu eſt, ac ſi non haberet copiam confeſſoris. In caſu verò mortis poteſt cuilibet ſacerdoti confiteri, & à quolibet ſacerdote abſolui. Non debet tamen quis vllo modo, etiam in caſu mortis confiteri excommunicato, vel ſchiſmatico, vel hæretico, quia (ſi alium habere non poteſt) ſufficit contritio, hoc enim ſacramentum non eſt tantæ neceſſitatis, quantæ baptiſmus, & tales ſunt omnino præciſi à corpore Chriſti, hoc ergo tene, licèt aliqui contrarium opinentur.

Interroga etiam, ſi reuelauit confeſſionem, vel illud, quod accepit ſub ſigillo confeſſionis; quia ſi id fecit, mortaliter peccauit, vel ſi fuit interpres inter confitentem & confeſſorem, & reuelauit, quę audiuit, vllo modo, peccauit mortaliter; quia ita tenetur cęlare ſicut confeſſor: ſimiliter mortaliter peccauit, ſi ea, quæ ei dixit confeſſor in confeſſione patefecit, ſi tamen in aliquod ſuum, vel confeſſoris damnum cedant. De confeſſione ergo iſta cum illis, quæ in principio diximus, ſufficiant. De alia verò parte pęnitétię, ideſt de ſatisfactione, dicemus in vlt. parte lib.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTO ALTARIS, *vel Euchariſtia.*

DE ſacramento Euchar. interroga, ſi poſtquam peruenit ad annos diſcretionis, qui (vt dictum eſt ſup.) incipiunt à x. vel xj. ſecundum S. Thomam, quolibet anno communionem non accepit in paſchate. Similiter ſi cum conſcientia peccati mortalis acceſſit ad eam. Si non ieiunus, ita quod à media nocte, vel circa, nullum cibũ, nullumque potum ſumpſerit, nec paruum, nec magnum. Si non confeſſus de omnibus mortalibus, etiam ſi fuiſſet contritus, his omnibus caſibus peccauit mortal. Similiter ſi nocte præcedenti quis fuit pollutus pollutione, cui dederat cauſam per peccatum mortale, vt cogitando deliberatè turpia, vel ſuperfluè comedẽdo taliter, quod peccauit mortaliter; communiter tenent, quod peccauit mortaliter, ſi hoc modo accedit ad communionem. Si ſine licentia proprij Sacerdotis, vel ſuperioris eius, ab alio ſacerdote Euchar. ſumpſit, ſciens hoc eſſe prohibitum, videtur peccare mortaliter, tam ipſe, quam ſacerdos; maximè ſi eſt religioſus, quia ſi ſic, eſt etiam excommunicatus: niſi ſuper hoc priuilegiatus ſit, vt ſuperiùs dictum eſt. Si de Corp. Chr. fecit experimenta, vel fieri fecit, quia non licèt de eo facere niſi illud, ad quod inſtitutum eſt à Deo. In omnibus his caſibus peccauit mortaliter, quia ita deliquit.

DE

Digitized by Google

DE EXTREMA VNCTIONE.

INterroga de Extrema vnctione, ſi eam aliquando ſuſcepit cum conſcientia mortalis peccati, quia ſi ſic, mortaliter peccauit. Vel ſi fuit negligens circa infirmos, ita quod propter ſuam negligentiam nõ habuerunt extremam vnctionem. Maximè Medici, qui habent hoc iudicare, & ſacerdotes citò occurrere, quia poteſt eſſe tanta negligentia, quòd erit peccatum mortale; cuius rei iudicium relinquendum eſt prudentiæ, & diſcretioni confeſſoris.

DE SACRAMENTO *Ordinis*.

DE ſacramento ordinis ſolummodò ea dicemus, quæ credimus ſufficere ſimplicibus confeſſoribus in præſenti opuſculo. Interroga ergo clericũ, ſi ordinem ſuſcepit in peccato mortali, & non priùs confeſſus? Si ſine ſcientia proprij Epiſcopi; & ſine examinatione furtiuè ſe ordinare fecit. Si ſimoniacè, vel à ſimoniaco ſcienter ordinatus eſt. Si eodem die plures ordines ſacros, vel minores cum ordine ſubdiaconatus ſuſcepit, vel aliquem ordinem ſacrum non in tempore ordinationis ſine diſpenſatione. Si promotus eſt per ſaltum ſuſcipiendo ordinem maiorem ante minorem.

Si bigamus erat, vel alio modo irregularis, & fecit

fecit ſe ordinari ſine diſpenſatione, vel ante ætatem legitimam. Nam prima tonſura à ſeptimo anno & ſuprà conferri poteſt, & tres ordines minores ſimiliter: accolytatus autem poſt duodecimum annum confertur: ſubdiaconatus ante vigeſimum ſecundum; diaconatus ante 23. Presbyteratus ante 25. non confertur, ſecundum Concilium Trid. Epiſcopatus poſt trigeſimum. In omnibus iſtis caſibus qui errauit, peccauit mortaliter contra præcepta Dei, & Eccleſiæ. Epiſcopus etiam conferens ordines indignis peccat mortaliter; ſimiliter ſi conferret alienis clericis. Similiter ſi ſcienter in ordinationibus dimittit aliquam partem principalem, & ſubſtautialem. vnde oportet tales male ordinatos vel iterum ordinari, ſi pars aliqua, quæ pertinet ad ſubſtantiam ſacramenti, fuit prætermiſſa; vel ſi non pertinet ad ſubſtantiam, non poteſt miniſtrare, donec alio tempore, id quod prætermiſſum eſt, ſuppleatur.

Interroga etiam, ſi exiſtens excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus diuinis ſe præſumptuosè ingeſſit, quia ſi ſic, peccauit mortaliter. Interroga etiam, ſi in miniſterio ſuo aliquid dimiſit, quod eſt de ſubſtantia, vt manipulum, vel orarium, vel in miſſa epiſtolam, vel aliquid huiuſmodi· quia ſi ſcienter hoc fecit, videtur mortaliter peccaſſe. Interrogandi ſunt etiam

DE EXTREMA VNCTIONE.

INterroga de Extrema vnctione, ſi eam aliquando ſuſcepit cum conſcientia mortalis peccati, quia ſi ſic, mortaliter peccauit. Vel ſi fuit negligens circa infirmos, ita quod propter ſuam negligentiam nõ habuerunt extremam vnctionem. Maximè Medici, qui habent hoc iudicare, & ſacerdotes citò occurrere, quia poteſt eſſe tanta negligentia, quòd erit peccatum mortale; cuius rei iudicium relinquendum eſt prudentiæ, & diſcretioni confeſſoris.

DE SACRAMENTO *Ordinis*.

DE ſacramento ordinis ſolummodò ea dicemus, quæ credimus ſufficere ſimplicibus confeſſoribus in præſenti opuſculo. Interroga ergo clericũ, ſi ordinem ſuſcepit in peccato mortali, & non priùs confeſſus? Si ſine ſcientia proprij Epiſcopi; & ſine examinatione furtiuè ſe ordinare fecit. Si ſimoniacè, vel à ſimoniaco ſcienter ordinatus eſt. Si eodem die plures ordines ſacros, vel minores cum ordine ſubdiaconatus ſuſcepit, vel aliquem ordinem ſacrum non in tempore ordinationis ſine diſpenſatione. Si promotus eſt per ſaltum ſuſcipiendo ordinem maiorem ante minorem.

Si bigamus erat, vel alio modo irregularis, & fecit

fecit ſe ordinari ſine diſpenſatione, vel ante ætatem legitimam. Nam prima tonſura à ſeptimo anno & ſuprà conferri poteſt, & tres ordines minores ſimiliter: accolytatus autem poſt duodecimum annum confertur: ſubdiaconatus ante vigeſimum ſecundum; diaconatus ante 23. Presbyteratus ante 25. non confertur, ſecundum Concilium Trid. Epiſcopatus poſt trigeſimum. In omnibus iſtis caſibus qui errauit, peccauit mortaliter contra præcepta Dei, & Eccleſiæ. Epiſcopus etiam conferens ordines indignis peccat mortaliter; ſimiliter ſi conferret alienis clericis. Similiter ſi ſcienter in ordinationibus dimittit aliquam partem principalem, & ſubſtantialem. vnde oportet tales male ordinatos vel iterum ordinari, ſi pars aliqua, quæ pertinet ad ſubſtantiam ſacramenti, fuit prætermiſſa; vel ſi non pertinet ad ſubſtantiam, non poteſt miniſtrare, donec alio tempore, id quod prætermiſſum eſt, ſuppleatur.

Interroga etiam, ſi exiſtens excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus diuinis ſe præſumptuosè ingeſſit, quia ſi ſic, peccauit mortaliter. Interroga etiam, ſi in miniſterio ſuo aliquid dimiſit, quod eſt de ſubſtantia, vt manipulum, vel orarium, vel in miſſa epiſtolam, vel aliquid huiuſmodi· quia ſi ſcienter hoc fecit, videtur mortaliter peccaſſe. Interrogandi ſunt etiam

beneficiati, maximè habentes curam animarũ, ſi redditus & bona eccleſiarum expendunt prout debent expendere; ea enim primùm pro moderato victu & veſtitu ſuo, & clericorum, reliquum autem debent expendere in reparationem Eccleſiarum, &, ſi Eccleſiæ non indigeant reparatione, debent erogare pauperibus Ratio eſt, quia non ſunt domini, ſed miniſtri. illarum rerum, & bonorum.

Item interroga, qualiter bene miniſtrant ſacramẽta, qualiter celebrant diuina officia, & ſi ſunt ſolliciti pro animabus ſuorum ſubditorum, ſi paſcunt oues ſuas oratione, verbo, & exemplo, ſicut debent, & ſecundum qualitatem exceſſuum ipſorum, in his poteris iudicare de peccato veniali, vel mortali, vel leui, aut graui culpa eorum.

ADDITIO CIRCA SACRAMENTUM Matrimonij ex Conc. Trid. Seß. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

QVoniam ſuperioribus annis plura quò ad Matrimonij ſacramentum conſtituta, immutataque à Trident. Synodo fuere, quæ publicata in quouis loco robur obtinent, ac vigorem; ideò antequàm ea, quæ de hoc ſacramento ab authore ſcriptis tradita fuere, proponamus, illa priori loco reponere ob curato-

rum

rum commodum, maximè congruum cenſuimus, in reliquo etiam authoris dicta contraria, vel repugnantia ad horum formam redacturi. Concilij igitur decreta proſequendo aggredimur.

Primò, quantùm ad ſubſtantiam Matrimonij eſt irritum, & nullum, ſi fiat clandeſtinè. ſaltem enim in celebratione Parochus, vel alius ſacerdos de ipſius licentia cum duobus, vel tribus teſtibus intereſſe debet.

Secundò, alias ſolemnitates præcipit Concilium, quæ ſi non ſeruentur, peccabit parochus, & contrahentes. Primò vt per tres continuas feſtiuitates denuncientur in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia perſonæ, inter quas matrimonium eſt contrahendum; quibus peractis, ſi nullum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur; vbi parochus mutuo eorum conſenſu intellecto dicat: Ego vos coniungo in Matrimonium, in nomine Patris &c. vel alijs vtatur verbis iuxta prouinciæ ritum. Si tamen ſuſpicio adſit has denunciationes poſſe impedire matrimonij celebrationem, de conſenſu ordinarij priùs fiat matrimonium, & ante conſummationem fiant, vt poſſint detegi impedimenta, ſi quæ ſunt. Quòd ſi ordinarius expedire iudicabit, tales denunciationes omittantur.

3. Hortatur etiam ſancta Synodus, vt ante benedictionem ſacerdotalem non cohabitent contrahentes, & ante matrimonij celebrationem confiteantur peccata ſua, & Euchariſtiam recipiant.

4. Benedictio fiat tantùm à parocho, vel ſacerdote ab ipſo deputato, quibuſcunque priuilegijs non obſtantibus.

5. Teneat parochus librum, in quo coniugum, & teſtium nomina, diemq; contracti matrimonij deſcribat, quem apud ſe ſeruet. Aliæ conſuetudines laudabiles ſecundum diuerſarum prouinciarum ritus ſeruentur.

6. Propter cognationẽ ſpiritualem, qua impeditur matrimoniũ contrahendum, & dirimitur contractum, vnus tantùm, & vna baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, quorum nomina ſacerdos deſcripta habeat, illiſq; declaret cognationem contractam, ne ignorantia excuſari poſſint, hæc autem cognatio inter ſuſcipientem & baptizatum ipſum, illius patrem, & matrem; nec non inter baptizantem, & baptizatum ipſum, baptizatiq; patrem, & matrem extenditur.

7. Cognatio ſpiritualis, quę oritur ex confirmatione, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, & tenentem non egreditur.

8. Honeſtatis publicæ impedimentum, vbi ſponſalia valida non fuerunt, ſancta Synodus prorſus tollit; vbi autem valida fuerunt primum

gra-

gradum non excedunt.

9. Impedimentum propter affinitatem ex fornicatione contractum, dirimens matrimonium, in primo tantùm & ſecundo gradu coniunctis reſtringitur, in vlterioribus matrimonium non dirimit.

10. Inter raptorem & raptam, quamdiù manet in illius poteſtate, matrimonium contrahi non poteſt: quòd ſi ſit ſeparata, & in loco libero conſtituta, & ipſum adhuc habere conſenſerit, poſſit hoc facere; ita tamen, vt teneatur eam, ſiue ducens ſiue non in vxorem, dotare ſecundum arbitrium iudicis.

11. Vagantes, & incertas ſedes habentes, non paſſim ad matrimonium contrahendum admittantur, ſed priùs parochi diligentem inquiſitionem faciant negotij, illudque ad ordinarium deferant, & ab eo licentiam contrahendi obtineant.

12. Concubinarij ter admoniti ab ordinario concubinas non dimittentes, excommunicatione feriantur; à qua (niſi pareant) nequeant abſolui, & ſi per annum permanſerint obſtinati, ſeueriùs contra eos procedatur.

Decimotertio, Concubinæ, ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, ter admonitæ, non parentes ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio, pro malo culpæ grauiter puniantur, & extra oppidum, vel diœceſim, inuocato, ſi opus

fuerit, auxilio brachij ſecularis eijciantur, alijs pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

14 Prohibentur nuptiæ ab Aduentu vſq; ad octauam Epiſaniæ. A feria quarta cinerum vſque ad octauam Paſchæ. Prohibitum autem eſt his diebus introducere vxores domum, & matrimonium conſumare.

DE MATRIMONIO.

NOta, quòd non vitiat matrimonium intentio mala, vt puta ſi quis contrahit propter diuitias, vel libidinem, vel aliquod huiuſmodi, dummodò intendat contrahere, & conſentiat per verba de præſenti; & nota quòd ſi puer ante quartum decimum annum contrahat per verba de præſenti, non eſt matrimonium; ſed intelliguntur eſſe ſponſalia, niſi ſint ita prope illud tempus, quòd malitia ſuppleat ætatem, de quo tamen iudicare, tenenda eſt in tali caſu tutior pars.

Quia matrimonium aliquando contrahitur cum conditione, & Doctores ſuper hoc multas faciunt diſtinctiones, ideò breuiter nota, quod matrimonium ſolo conſenſu, verbis, vel nutibus, vel alijs ſignis expreſsè contrahitur, & vbi non eſt conſenſus, non poteſt eſſe matrimoniū. Si quis ergo contrahat cum conditione aliqua, quæ-

quæcunq; illa fuerit, ſi intendit non aliter conſentire, niſi illa conditio adſit, vel adueniat, non eſt matrimonium. Vt ſi quis dicat mulieri: Ego te accipio, ſi tu es virgo; ſi tu non es virgo, non te accipio: ſi mulier non eſt virgo, certè non eſt matrimonium, quia deeſt conſenſus. Conſenſus enim conditionalis non eſt conſenſus ſimpliciter, quia (vt dicunt Logici) conditionalis non ponit in eſſe, & quamuìs doctores dicant ſæpe, quòd talibus conditionibus poſitis eſt matrimonium, etiam ſi conditio non adſit, intelligendum, quòd eſt matrimonium præſumptum, qui Eccleſia præſumit illud eſſe matrimonium, non tamen eſt verum matrimonium. Vnde extra, de ſponſ. cap. 1. lib. 6. dicitur, quòd ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis iuſtitia contrahitur.

Nota autem, quòd votum ſolemne, quod fit per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam in habitu alicuius religionis approbatæ, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: votum autem ſimplex, quamuìs impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum; quia adhuc remanet huiuſmodi dominus ſui corporis, eo quòd non ex hoc ipſo, quòd aliquis rem promittit aliquam, deſinit

res illa eſſe in poteſtate ſua; imò poteſt adhuc corpus ſuum alteri dare: in qua datione ſacramentum matrimonij conſiſtit, quod indiſſolubile eſt. In voto verò ſolemni homo non ſolùm promittit continentiam, ſed etiam tradit corpus ſuum alteri, & ideò votum ſolemne impedit contrahendum, & dirimit contractum. Nihilominùs etiam, qui habens votum ſimplex contrahit matrimonium per verba de præſenti, peccat mortaliter: quia fidem Deo frangit, vel frangere intendit, & ideò ante copulam coniugalem conſulendum eſt ei, vt ingrediatur religionem; cùm adhuc per talem ingreſſum poſſit votum ſeruare. Si autem conſumat matrimonium, peccat etiam mortaliter, & non poteſt exigere debitum; reddere tamen tenetur exactus. Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare in hoc; ideſt, quòd poſſit etiam debitum exigere, ne reddatur alteri parti oneroſus, & non debet in hoc Eps eſſe difficilis maximè iuuentuti, ne in periculum alicuius damnoſæ corruptionis labatur, & quotidie pereat ſpiritualiter. Eſt etiam ſciendum, quòd linea conſanguinitatis impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum; in linea quidem recta in infinitum: quia inordinatum eſt, quod filia patri, vel filius matri per matrimonium iungantur in ſocios cauſa generandæ prolis, & æducandæ, quos oportet

tet

tet per omnia parentibus eſſe ſubiectos, velut ex ipſis procedentes. In linea verò tranſuerſali impeditur matrimonium vſq; ad quartum gradum incluſiuè. Nam finis matrimonij ſecundarius eſt concupiſcentiæ repreſſio, quæ deperiret, niſi inter perſonas, quas oportet in eadem domo frequenter conuerſari propter conſanguinitatem eſſet carnalis copula interdicta.

Gradus autem in linea tranſuerſali ſic computantur breuiſſimè: quoto gradu quis diſtat à ſtipite, toto & à quolibet deſcendentium; & hoc ſic intelligitur propoſitis duab. perſonis, vt putà ſi proponatur Petrus & Maria, ſtatim debes quærere parentes eorum, & parentes parentum vſque quò ad vnum ſtipitem peruenias, id eſt ad vnum patrem, vel ad vnam matrem, à quibus omnes illi ſucceſſiuè deſcenderunt. quo facto, ſi gradus non ſunt æquales in vtraque linea, accipe perſonam diſtantem magis à ſtipite in linea, vbi plures ſunt gradus, & quoto gradu iſta perſona diſtat à ſtipite, eo etiam diſtat à quolibet deſcendentium in linea breuiori alterius partis, vel æquali, ſi eſt æqualis: verbi gratia, ſi pater Petri eſt Ioannes, & huius pater Franciſcus, Franciſci autem pater ſit Dominicus, qui etiam Dominicus per aliam lineam ſit pater Andreæ, Andreas autem Pauli, Paulus autem Nicolai, Nicolaus autem Mariæ: quoto gradu Maria diſtat

à Do-

à Dominico, eo etiam diſtat à Petro. Ioan. & Franciſco. Quia ergo Maria eſt in quarto gradu à Dominico, qui eſt ſtipes, ſequitur ſecundum regulam, quòd eſt etiam in quarto gradu ad quemlibet deſcendentium per aliam lineam, id eſt, ad Petrum, ad Ioannem, & Franciſcum: verùm nullus eorum poteſt Mariam habere, ſi autem Maria generaſſet filiam, putà Conſtantiam, patet quòd Conſtantia quinto gradu diſtaret à ſtipite, & per conſequens eodem gradu diſtaret à quolibet illorum trium: & ſic quilibet illorum poſſet contrahere matrimonium cum ipſa Conſtantia. Et hæc regula eſt infallibilis ad inueniendum gradum in linea tranſuerſali hoc modo, videlicet.

STIPES
DOMINICVS.

1	Franciſcus	Andreas	1.
2	Ioannes	Paulus	2.
3	Petrus	Nicolaus	3.
		Maria	4.
		Conſtantia	5.

DE COGNATIONE SPIRITVALI
vide numero 7.

PER Catechiſmum autem contrahitur ſpiritualis cognatio, quæ impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum. Item nota, quòd pro-

prohibetur matrimonium per vinculum adoptionis legalis inter adoptantem & filium, ſeu filiam, nepotem, vel neptem adoptatos, & ſic deinceps; ſimiliter inter filium naturalem, & filiam adoptiuam, ſeu inter filium adoptiuum, & filiam naturalem, quamdiù ſunt in poteſtate patris: nam morte patris, vel emancipatione filij naturalis, vel adoptiui, non impeditur matrimonium. Similiter inter patrem adoptantem, & vxorem filij adoptati; & econuerſo inter filium adoptatum, & vxorem patris adoptantis. Lex enim diuina illas præcipuè perſonas à matrimonio excludit, quas neceſſe erat cohabitare; ne ſi ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiſcentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium eſt ordinatum.

DE AFFINITATE CAVSA PVblicæ honeſtatis, & cauſa fornicationis, vide num. 8. & 9.

CIrca affinitatẽ verò, nota hoc breuiter, quòd ſponſus non poteſt contrahere cum aliqua conſanguinea ſponſæ, nec ipſa ſponſa cum conſanguineis ſponſi vſque ad eundem quartum gradum incluſiuè; & hoc intellige, ſiue fuerit conſummatum matrimonium, ſiue non, ſiue ſponſalia inter eos teneant de iure, ſiue non,

dum-

Digitized by Google

dummodò fuerint facta certè, licèt nulla fuerint ratione conſanguinitatis, vel affinitatis, vel religionis, aut aliqua alia quacunq; ratione cuniuncti; niſi fortè fuerint nulla propter defectum conſenſus, vt patet extra, de ſpon. cap. 1. lib. 6. De viro, & muliere, quæ fuit ab eo fornicariè cognita, dic, vt ſuprà ex Conc. retulimus. nume. 9. Et hoc diligenter nota propter ea, quæ ſæpe accidunt hodiernis temporibus, quæ turpe eſt dicere. Nam aliquando contractis ſponſalibus, vel antequàm cõtrahantur, frater ſponſi cognoſcit, vel cognouit ſponſam eius, ſponſus cognoſcit ſororem ſponſæ, vel matrem, vel aliam eius conſanguineam, ex quo diſſoluuntur ſponſalia, ita quòd illã ſponſam ampliùs habere non poteſt; & tamen hoc non aduertunt multi: aliqui autem (quod deterius eſt) non curant.

Eſt etiam ſciendum, quòd ſi qua mulier machinatur in mortem proprij viri, vt habeat alterum virum; vel aliquis vir mortem mariti eius machinatur vt illam habeat, ſi ſequatur effectus, nunquam coniungi valent ſine diſpenſatione. Et ſimiliter ſi vir aliquis, & mulier aliqua dant ſibi inuicem fidem, & promittunt ſe mutuò accipere poſt mortem viri illius mulieris, vel poſt mortem vxoris illius viri promittentis, ſiue ante hoc fuerit ſecuta copula carnalis, ſeu poſteà ſequatur, nunquam

pote-

poterunt tales matrimonio copulari, niſi cum eis fuerit diſpenſatum.

Item nota, quòd matrimonium per errorem perſonæ quandoque euacuatur: cùm enim conſenſus ſit cauſa matrimonij, qui euacuat conſenſum, euacuat matrimonium; quia quicunque impedit cauſam, de ſui natura impedit effectum; ſi quis ergo conſentiret in aliquam credens eam eſſe filiam regis, ſi ipſa non eſt ea, in quam vult conſentire, non eſt matrimonium, quia deficit conſenſus. Similiter ſi Ioannes dicat ſe eſſe Petrum, & mulier conſentiat in ipſum, tamquàm in Petrum, non eſt matrimonium; ſed ſi ſciens ipſum eſſe Ioannem cõſentiat in ipſum, credens eum eſſe diuitem, cùm ſit pauper, hoc non vitiat matrimonium, quia iam hic non deficit conſenſus.

Item nota, quòd in matrimonij contractu obligatur vnus coniugum alteri ad debitum reddendum: & ideò ille, qui ſic ſe obligat, ſi eſt impotens ad ſoluendum, ignorantia huius impotentiæ in eo, cui fit obligatio, tollit contractum. Et ideò ſi libera mulier contrahit cum ſeruo, vel liber cum ancilla ignoranter, non tenet matrimonium; ſi verò ſcienter, tenet. quia imputandum eſt ei, qui contraxit. Similiter ſi ſeruus contraheret cum ancilla, quam putabat eſſe liberam, tenet matrimonium: quia non habet ſeruus, quod ei obijciat,

cùm

Digitized by Google

cùm ſit paris conditionis cum ea, & multò minùs decipitur, ſi contrahat cum libera, quam credebat ancillam. Et nota, quòd ſi ſeruus de voluntate domini contraxit matrimonium, magis tenetur reddere debitũ vxori, quàm ſeruitium domino; quia per hoc, quòd dominus conceſſit ei matrimonium contrahere, intelligitur ei conceſſiſſe omnia, quæ matrimonium requirit. Si autem contraxit ignorante, vel contradicente domino, tenetur potiùs domino obedire, quàm vxori debitum reddere; quamuìs propter periculum caſtitatis ſemper ſit penſandum, ne propter temporalia, animæ detrimentum pariatur. Vbi ergo immineret periculum alicuius damnabilis corruptelę, conſulendum eſſet, vt magis redderet debitum vxori, quàm ſeruitium domino, imò cogendus eſſet dominus, ne ſeruum taliter aptaret, ſeu diſtraheret, vt inde ſequeretur periculum caſtitatis.

Item nota, quòd cùm matrimonium ſit contractus quidam, quo vnus alteri obligatur ad debitum carnale ſoluendum; ſicut in alijs actibus non eſt conueniens obligatio, ſi aliquis ſe obligaret ad hoc, quod non poteſt dare, vel facere; ita non eſt conueniens matrimonij contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnale ſoluere non poſſit. Et hoc impedimentum vocatur impotentia coêundi, quidem poteſt eſſe, &

ex

Digitized by Google

ex cauſa naturali, & ex maleficio. Si ergo hæc impotentia ſit perpetua, ita, vt ei ſubueniri non poſſit per remedium medicinæ corporalis, vel ſpiritualis, ſoluit matrimonium, ita quòd, ſi quis, vel ſi qua cum tali ignoranter contrahat, matrimonium nullum eſt. Et ad hanc impotentiam probandam conceditur ab Eccleſia triennij experientia. Verùm ſi quis ſcienter cum tali contrahit, ſtabit contractus; quia ex hoc oſtenditur, quòd, qui ſic contrahit, alium quàm copulam carnalem ex contractu quærit. Si autem talis impotentia non eſſet perpetua, quia videlicet poteſt ei ſubueniri beneficio medicinæ, vel alio modo, non impedit matrimonium.

Item nota, quòd quia principale matrimonij bonum eſt proles ad cultum Dei educanda, cum autem educatio talis pertineat ad patrem, & matrem, ſi alter ipſorum ſit infidelis, intentio vnius alterius intentioni contraria erit: & ideò, ſi fidelis contrahit cum infideli, nullum eſt matrimonium: Eſt ſi ambo erant infideles, & alter eorum conuertatur ad fidem, poteſt dimittere alterum, quamuis benefaceret commanere ei, ſi eſſet ſpes ipſum conuertendi. Et nota quòd ſi infidelis vult cohabitare fideli, quamuìs poſſit fidelis ab ea diſcedere, non tamen poteſt aliam accipere. Si autem, vel nolit ei cohabitare, vel non ſine contumelia creatoris

toris

toris, aut ſi ad infidelitatem pertrahere nitatur; in his tribus caſibus vir fidelis poteſt alteri per matrimonium copulari.

Item quòd clerici in minoribus, ſi non ſint religioſi profeſſi licitè poſſunt contrahere, ſi verò ſint in Sacris, contrahere non poſſunt. At ſi coniungatus, conſentiente vxore, ordinetur in Sacris, ſuſcipit ordinem & executionem, & vxor tenetur ſeruare continentiam: ſi verò neſciente, aut non conſentiente vxore, recipit quidem characterem ordinis, ſed non executionẽ, & non poteſt ſine diſpenſatione exigere debitum, licèt reddere teneatur. continentia enim eſt annexa ordini ſacro ex ſtatuto Eccleſiæ.

Item nota, quòd cùm quęritur, an matrimonium per violentiam contractum teneat, abſolutè reſpondendum eſt, quòd cùm matrimonium conſenſu contrahatur, ſi mulier verbis conſentiat, vel ſignis, vel ſaltem non cõtradicat, in corde tamen nullo modo conſentiat, ſed magis diſſentiat, & quacunque coactione, ſeu metu hoc fecerit, non eſt matrimonium.

Quando ergo doctores dicunt, quòd ſi non fuit metus cadens in conſtantem virum, tenet matrimonium, intelligendum eſt, non quantùm ad veritatem, ſed quantùm ad iudicium Eccleſiæ, quæ de exterioribus iudicat.

Nota denique, quòd ſi mulier fornicetur poteſt

vir

Digitized by Google

vir ſeparari ab ea; ita tamen quòd cùm fornicatio ei conſtat, licèt non ſit publica, per ſeipſum poteſt ſeparari à thoro, & non reddere ei debitum: & eadem eſt ratio de vxore reſpectu viri. Et nota, quòd ſiue fornicatio ſit publica, ſiue ſecreta, dummodò ſit certa viro, vel coniugi reſpectu viri, ſi non ſperatur correctio, vel non immineat innocenti periculum fornicationis, ſeu mortis ex denegatione debiti, vel niſi ex hoc fornicatus efficiatur peior nullo modo debet non peccans peccanti reddere debitum; aliter grauiter peccaret, quia videretur peccato eius conſentire. Separari autem quò ad cohabitationem non poteſt ſine iudicio Eccleſiæ, niſi fornicatio ſit ita notoria, quòd probatione non egeat. De redditione autem debiti, & de peccatis, quæ fiunt in matrimonio, in ſequentibus dicemus, quando de peccatis luxuriæ tractabimus: quia enim hoc peccatum eſt turpe, non eſt frequenter repetendum in confeſſione, ſed ſemel ſolùm, & quantò breuiùs fieri poteſt, & ſolummodò per ea, quæ pertinent ad confeſſionem eſſentialiter: & ad alia tranſire.

De tempore prohibito dictum eſt ſuprà, num. 14.

DE SVPERSTITIOSO CVLTV.

INterrogandus eſt etiam peccator de ſuperſtitioſo cultu, qui eſt contra religionem. Vbi nota, quòd religio eſt virtus, per quam exhibemus debitum cultum Deo, tãquam vniuerſali principi, & gubernatori omnium. Vbi nota, quòd ille eſt debitus cultus, qui eſt ordinatus à Spiritu ſancto, vel ab Apoſtolis, vel ab inſtitutione, & conſuetudine Eccleſiæ vniuerſalis, vel etiam ab antiqua conſuetudine alicuius Eccleſiæ particularis. Qui ergo ſequuntur cæremonias Iudæorum, vel Paganorum, ſeu alium cultum ab Eccleſia prohibitum, mortaliter peccant. Reprehendendi ſunt etiam, qui volunt inuenire nouos modos adorandi, qui non ſunt conſueti in Eccleſia Dei. Peccant etiam contra hoc grauiſſimè idolatræ, necromantici, & malefici, & mulieres incantatrices, & quicunque alij exhibẽtes cultum diabolo, ſiue expreſſum, ſiue occultum. Habemus enim continuum bellum cum diabolo, & ideò nullo modo debet quis habere pacta cum eo, nec occulta, nec expreſſa: Et ideò incantatores, & diuinatores, & qui dicunt ſe inuenire furta per varias ſuperſtitiones, & portantes breuia ad collum cum characteribus, & nominibus ignotis & ſu-

ſpectis, & qui ſequuntur ſomnia, & certas diuinationes ſuperſtitioſas non ſunt abſoluendi, niſi à talibus deſiſtant. Nota etiam, quòd non debent noua corpora ſanctorum, nec reliquiæ eorum publicè venerari, niſi priùs huiuſmodi reliquiæ auctoritate Romanæ Eccleſiæ fuerint approbatæ. Sanctorum verò reliquias approbatas emere, vel vendere, Symoniacum eſt; qui furantur eas, etiam vt honorificentiùs collocent, ſacrilegium committunt.

DE ACCIDIA.

INterrogandum eſt vltimò de accidia, quæ eſt triſtitia de bono diuino, vt putà, cùm quis triſtatur, quòd Deus, vel Eccleſia Dei præceperit ea, quæ præceperit; & ſi in tali triſtatur, quòd ea odio habeat, eſt peccatum mortale. Similiter etiam, ſi propter hoc deſiſtit à bonis operibus, ad quæ obligatur ex præcepto: aliter videtur tantùm veniale. Et hæc dicta de prima tabula ſufficiant.

DE PRAECEPTIS SECVNDAE *tabulæ.*

DE ſecunda autem tabula tractātes dicemus, eam ſeptem præcepta continere. Etenim ſecunda tabula eſt, quæ pertinet ad dilectionem proximi, cui debemus benefacere, non malefacere.

Quantùm ergo ad primum, habemus præceptum de honore parentum, per quem intelligimus quodlibet beneficium exhibendum non ſolùm parentibus, ſed etiam proximis quibuſcunque. Quantùm verò ad ſecundum, id eſt, ad non malefacere, habemus alia præcepta huius ſecundæ tabulæ. Malum autem proximo tripliciter fieri poteſt, ſcilicet opere, lingua, & corde. Opere quidem adhuc tripliciter, vel in perſona propria, & ſic habes præceptum, (Non occides:) vel in perſonam coniunctam, & ſic habes, (Non mœchaberis:) vel in rebus coniunctis, & ſic habes, (Non furaberis:) Si autem lingua, habes, (Non falſum teſtimonium dices:) Si corde dupliciter, vel in perſona coniuncta, & ſic habes, (Non deſiderabis vxorem proximi tui:) vel in rebus coniunctis, & ſic habes, (Non concupiſces rem proximi tui.)

DE HONORE Parentum.

QVartum ergo præceptum in ordine ad decem, quod eſt primum ſecundæ tabulæ; eſt, (Honora patrem tuum, & matrem tuam:) Vbi nota, quòd ad cognoſcendum, quando eſt peccatum mortale inhonoratio parentum, debes conſiderare verba vel facta, ſi ſint notabilis contemptus; quia ſic eſt mortale. In dubijs tamen non eſt præcipitanda ſententia, verùm acriter arguere debes filios ſemper pro omni inhonoratione erga parentes: & iſte honor intelligitur etiam circa ſubuentionem corporis, & animæ.

Interrogandum eſt etiam, qualiter ſe homo habuit ad ſuos inferiores, ſi inferiores habuerit, vt putà princeps ad populum; prælatus ad ſubditos; paterfamilias ad coniugem, ad filios, ad ſeruos, & ad ancillas. Et ſimiliter inferior, qualiter ſe habuerit ad ſuperiores quoslibet, & ſecundum inobedientiam, vel irreuerentiam peccatorem condemnare. In hoc enim hic non poteſt dari regula generalis, ſed oportet conſiderare iniuriam inferiori factam, & irreuerentiam ſuperiori, ſecundum regulas præcedentes, vel ſequentes; vel etiam prout iudicabit prudens confeſſor.

Interrogandum eſt etiam, qualiter ſe habuerit ad æquales, maxime ad benefactores, vt ſi contempſit beneficia, vel alio modo non fuit gratus; & tunc iudicandum erit de mortali, vel veniali, ſecundum contemptum proximi, vel damnum factum. Potes etiam parentes interrogare de teſtamentis, quæ faciunt, ſi iniuſtè, & ſinè cauſa rationabili exhæredant, quos exhæredare non debent, quia grauiter peccant. Filij quoque, & hæredes tenentur in conſcientia ſeruare ea, quæ in teſtamento legantur, niſi ſint penitus irrationabilia, & maximè pia legata pro anima teſtatoris non debent retardare, quia grauiter peccant; & ſi ex toto nolunt ea adimplere, peccant mortaliter, & conſueuit contra eos excommunicatio ſynodalis promulgari.

DE HOMICIDIO.

QVintum præceptum eſt, (Non occides:) Vbi nota, quod homicidium poteſt tripliciter, accipi ſcilicet, corporaliter, cordialiter, & ſpiritualiter. Per homicidium corporale intellige tu hoc loco quamlibet offenſionem factam in perſona proximi. Cordiale autem eſt odium, quod aliquando ex ira, vel inuidia procedit; de quibus tractandum eſt in hoc

loco,

loco. Spirituale autem eſt duplex, primò per commiſſionem, & hoc eſt ſcandalum: ſecundò per omiſſionem, & hoc eſt omiſſio correctionis fraternæ.

Interrogandus eſt ergo peccator, primò de offenſione reali facta in perſona proximi. Pro qua nota, quod quælibet talis offenſio facta à perſona priuata, ideſt, quæ nullum ius habet ſuper perſonam offenſam, ſi eſt notabilis, eſt peccatum mortale, quia eſt contra charitatem proximi, ſi autem eſt leuis, veniale. Et nota quòd torneamenta, in quibus milites ex condicto conueniunt ad oſtentationem virium, & audaciæ, prohibita ſunt ab Eccleſia; quia in eis mors aliquorum frequenter contingit. Si qui ergo ea faciunt, mortaliter peccant; & ſi quem ibi occidunt, rei ſunt homicidij; & ſunt irregulares. Et nota, quòd haſtiludium, (quod vulgariter dicitur la gioſtra) non eſt torneamentum, vnde non credo milites peccare, præſertim mortaliter, quando bono fine ſe exercent in haſtiludio, videlicet, vt addiſcant bellare, volentes eſſe milites, & artem militarem iuſtè exercere; dummodo hoc faciant ſine periculo cum haſtis debilibus, & ſine ferro periculoſo.

Nota etiam, quòd ars baliſtarum eſt prohibita ſub pœna Excommunicationis exerceri cõtra Chriſtianos in bello iniuſto; ergo videtur, quòd

multo magis exercenda non eſſet ars ſclopetarum, & ſpingardarum.

Interrogandus eſt etiam de homicidio cordiali, idest, de odio, vbi nota, quòd quotieſcunque aliquis deliberatè appetit ex odio, vel per ſe vel per alium inferre proximo notabile damnum, peccat mortaliter. Hoc autem intelligo, quando inter diuerſos appetitus interuenit alia cogitatio, quia ſi etiam per totam diem continuaret actus odij, non eſſent niſi vnum peccatum. quod tamen tantò grauius eſſet, quantò diutiùs duraſſet.

Item nota, quòd ſi quis nollet inimicum ſuum offendere, nec ipſum ab alio offendi, ſed tamen delectatur, cogitare deliberata ratione malum notabile de eo, puta, quòd occideretur, vel vulneraretur; ita quòd quaſi intra ſe dicat: nollem ipſum habere talia mala; tamen delectat me iſta cogitatio; & ita ſi conſentit deliberatè in delectationem illius cogitationis, peccat mortaliter: quia iſte conſenſus non propter hoc, quia homo diutiùs immoratur in tali cogitatione eſt malus, ſed quià conſentit ſic in ea immorari. Nam ſi etiam per totam diem in tali cogitatione immoraretur, & non conſentiret ſe in ea deliberatè immorari, ſed ex fragilitate moratur in ea non aduertens, licèt negligenter eam expellens, non poteſt de mortali peccato condemnari: periculoſa

loſa eſt tamen magna negligentia circa hoc.

DE INVIDIA.

INterrogandus eſt etiam de Inuidia, & ira, ex quibus frequenter oriuntur homicidia. Inuidia autem eſt triſtitia de bono alterius, eo quòd tale bonum exiſtimat diminutiuum propriæ gloriæ, vel excellentiæ. Et hoc peccatum communiter accidit in his, qui volunt in aliquo ſingulares eſſe, aut videri; vt in regno, vel in diuitijs, vel ſcientia, vel artibus, & eſt peccatum ex genere ſuo mortale, quia eſt expreſsè contra charitatem. Poteſt tamen eſſe veniale, videlicet, in rebus paruis; vt eſt inuidia puerorum, vel quando non interueniret conſenſus.

DE IRA.

IRA autem eſt appetitus inordinatus vindictæ; qui, ſi eſt de malo notabili contra proximum, eſt mortale; ſecùs ſi in aliquo paruo quis ſe voluerit vindicare, vel actus non habuit perfectionem conſenſus. Poteſt etiam eſſe mortale, ſi ex nimia ira quis blaſphemat, vel aliquid facit, quod ex genere ſuo eſt mortale.

DE SCANDALO.

INterrogandus eſt etiam de ſcandalo, & correctione fraterna, quæ ſunt homicidia ſpiritualia. Scandalum autem eſt dictum, vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ. Quando ergo quis ex dicto ſuo vel facto, cuiuſcunque generis ſit, intendit alium trahere ad peccatum mortale, mortaliter peccat. Si autem intendit trahere ad veniale, non peccat mortaliter, niſi illud, quod dicit, vel facit, ſit peccatum mortale. Quando autem quis non intendit per dictum ſuum, vel factum trahere proximum ad peccatum; tamen percipit, quòd ſi dicit, vel facit illud, ille, qui eſt infirmus, ruet in peccatum mortale; ſi illud, quod ille dicit, vel facit, eſt de ſe malum, vel nec bonum nec malum ex ſe, faciens, vel dicens illud, non curans de proximi periculo, peccat mortaliter: ſi quod dicit, vel facit, eſt bonum, ſed tamen non eſt de neceſſitate ſalutis, ita quod non tenetur illud dicere, vel facere, & veriſimiliter percipit proximum ſuum propter illud ſcandalizari ex infirmitate ſua, & in peccatum mortale ruere, etiam mortaliter peccat, ſi faciat, vel dicat illud; quia contemnit ſalutem proximi, & contra charitatem agit. Et ideò debet pro tunc dimittere illud, & aſſignare rationem proximo,

ximo, quare id dicit, vel facit. Si autem aſſignat rationem, & proximus ille adhuc permanens in ſua fantaſia ſcandalizatur, relinquendum eſt ſibi; quia tunc eſt ſcandalum Phariſeorum, de quibus dixit Saluator noſter (Sinite illos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum) Si verò illud dictum, vel factum eſt de neceſſitate ſalutis, vel ita manifeſtè bonum, vt nullus ex eo, niſi propter ſuam malitiam poſſit ruere in peccatum, tunc non peccat, qui illud facit, vel dicit, etiam ſi ſcandalizatur proximus; quia hoc eſt ſcandalum receptum, non datum. Quando autem quis nec intendebat proximum trahere ad peccandum, nec percipiebat ipſum propter ſuum dictum, vel factum ruere in peccatum mortale; tamen factum, vel dictum eius tale erat, & in tali loco & tempore, quod debuiſſet hoc percipere; ſi ex hoc proximus ſcandalizatur, non excuſatur etiam à peccato mortali: & præſertim ſi illud, quod dicit, vel facit, eſt peccatum mortale. Quando verò nullum prædictum concurrit, vel eſt veniale, vel nullum peccatum.

De iſto igitur ſcandalo, & eius circunſtantia eſt interrogandum diligenter, quia verè totus mundus hoc vitio periclitatur; maximè mulieres, quæ ſunt cauſa infinitorum peccatorum ex laſciuo eorum ornatu.

DE

DE CORRECTIONE fraterna.

CORRECTIO fraterna, eſt medicina charitatis adhibita morbo proximi, id eſt, peccato, vel præterito, vel præſenti, vel imminenti, nè ruat in damnationem æternam; ad quam quilibet tenetur ex præcepto. Quando ergo quis probabiliter credit, ſe poſſe aliquem, ſiue inferiorem, ſiue ſuperiorem, ſiue æqualem à mortali peccato præterito, præſenti, vel futuro per verba ſua, vel opera, vel correctiones liberare; ſi timore, vel amore ſui non facit, maximè quando videt alium ob hoc faciendum in promptu non eſſe, peccat mortaliter; ſicut ille, qui eleemoſynam non facit exiſtenti in extrema neceſſitate. Et quando peccatum eſt ſecretum, & non vergit in periculum fidei, vel totius Reipublicæ, debet quilibet primò corrigere inter ſe, & ipſum ſolum, vt dicit Dominus in Euangelio, ad hoc, vt fama vniuſcuiuſq; ſeruetur. Si autem hac correctione pluries facta, ille non emendatur, debet adhibere teſtes bonos, & fideles, & prudentes: Et ſi non vult corrigi, debet dicere prælato, & publicè accuſare; quia melior eſt anima, quàm fama. Si autem peccatum vergeret in detrimentum fidei, vt putà quia aliquis hæreticus ſecretè ſubuer-

tit ſimplices: vel in periculum Reipublicæ, vt putà, quia aliquis vult prodere ciuitatem; tunc ſi quis quaſi pro certo haberet, quòd ſecreta admonitio ſufficeret, deberet eam facere: ſed ſi videret periculum eſſe in mora, deberet ſtatim prodere tale peccatum ei, qui poſſet tali ſcandalo prouidere, quia bonum commune præcedit particulare.

Interrogandi autem maximè ſunt parentes circa correctionem filiorum, & prælati erga ſubditos; ſed hodie fere hoc præceptum ab omnibus ignoratur, & quamplures id ſcientes, maiorem zelum habentes, quàm oporteat, illud paruipendunt: & ideò ſi quis peccatum ſecretum commiſerit, & alius hoc audiat, vel videat; non ad correctionem fraternam ſe confert, ſed ad publicationem: & ita dupliciter peccat, ſcilicet per omiſſionem correctionis fraternæ, & per detractionem; quod grauiſſimum eſt peccatum, ad reſtitutionem etiam obligans.

DE LVXVRIA IN *communi.*

SEXTVM præceptum, (Non mœchaberis) & nonum, (Non concupiſces vxorem proximi tui) In quibus interrogandum eſt de peccato Luxuriæ. Et quia hoc peccatum eſt circa delectationem tactus; & guſtus eſt; qui-

quidam tactus (vt dicit Philoſophus) oportet etiam hic interrogare de delectatione guſtus, præſertim cùm cibus & potus ſint materia luxuriæ.

DE GVLA.

GVLA igitur eſt inordinatus appetitus ciborum, qui ſi adeò inordinatus eſt, vt homo propter hoc inhæret delectationi gulæ, tãquam fini, erit peccatum mortale. Tunc autem apparet, quòd inhæret delectationi huic, tanquam fini, quando propter eam poſtponit præcepta Dei, & Eccleſiæ; vt quia frangit ieiunia, vel propter delectationem ciborum non curat de ſalute animæ, nec de ſanitate corporis proprij. Si autem aliquis comedit, vt luxuriari poſſit, vel vt ſeipſum interimat, non eſt propriè peccatum gulæ, niſi materialiter, ſed luxuriæ, vel homicidij, & odij ſui ipſius. Erit ergo peccatum mortale, ſi in delectatione ciborum conſtituit quis finem ſuum, vel ſi finis, propter quem ita comedit, eſt mortale peccatum; aliàs non erit mortale.

DE EBRIETATE.

EBrietas quoque eſt inordinatus vini appetitus, & eſt peccatum mortale eo modo, quo di-

Digitized by Google

dictum eſt de gula. Hoc tamen addendo, quòd etiam peccat mortaliter ſciens naturam vini, qui vult potiùs ebrietatem incurrere, quàm à vino abſtinere: & omne malum, quod poſteà ex hoc ſequitur, ei imputabitur. Similiter videntur peccare mortaliter, qui alios ſtudent inebriare.

DE LVXVRIA, ET *eius ſpeciebus.*

LVXVRIA eſt inordinatus Venereorum appetitus. Circa quam interrogandum eſt diſcretè & breuiter, ita quòd intellecta vltima ſpecie peccati, non quærantur aliæ circunſtantiæ, quæ non variant ſpeciem: vt putà cùm dicit, ego cognoui quandam mulierem ſemel, quærendum erit ſtatim, ſi erat ſecularis, an ſacrata Deo; vel ſi erat conſanguinea, vel affinis, vel nupta, vel virgo, vel ſoluta, vel meretrix; & ſi fuit per vim cognita, an ipſa ſponte conſenſit; & ſi fuit in vaſe debito, an indebito, vel etiam extra vtrumque vas, vel ſi per contactum illius ſit pollutus. Et ſic habita vna iſtarum ſpecierum, vel pluribus ſimul concurrentibus, vt putà quia cognouit nuptam conſanguineam ſuam, in vaſe non debito, ſemel, vel pluries; non oportet poſteà interrogare de actibus, & tactibus

&

& oſculis circumſtantibus actum illum, ſufficit enim, vt in generali dicatur ei: Fili ſcio, quia hoc feciſti cum multa inhoneſtate, vt fieri ſolet, aliter, ſi volueris omnia interrogare inijcies tibi laqueum: quia hæc materia magis incitat ſenſum, cùm ad particularia deſcenditur, quàm cùm ſtatur in vniuerſalibus. Maximè autem eſt adhibenda cautela circa adoleſcentulas, & etiam pueros nè addiſcant, quod ignorant. Tales enim à longè debent interrogari, vt putà primò interroga, cum quibus conuerſantur; & de quibus loquuntur, & ſi vnquam audierunt verba mala, vel inhoneſta: & ſi dicunt, quòd audierunt, tunc ſubiunge, ſi talia cogitauerunt, vel ſi eis diſplicuerunt: & vlteriùs cùm habes, quòd te intelligunt talia loquentem; interroga, ſi quis eos tentauit de malo: & ita paulatim à verbis, & cogitationibus venies ad opera, quæ perpetrarunt. Et ſi tibi videtur, quòd non reſpondent ad propoſitum, & quòd talia non intelligunt, poteris ad alia tranſire.

Vt autem expeditiùs, & magis ordinatè procedas cum his, qui nouerunt hæc facere; Interroga primò de actu conſummato. Circa quod habeto regulam firmè, quòd omnis actus luxuriæ conſummatus extra matrimonium, ſi eſt voluntarius, eſt peccatum mortale, & omnis

talis

talis actus eſt in vna, vel etiam in pluribus harum ſpecierum, quas ſubiungimus. Grauiſſima enim luxuria inter omnes eſt peccatum contra naturam, cuius ſpecies eſt mollicies, quæ conſiſtit in ſola emiſſione ſeminis, vel ſine concubitu alicuius, vel cum altero non ſeruato aliquo vaſe, nec debito modo. Secunda ſpecies eius grauior eſt, ſcilicet, ſodomia. Tertia verò grauiſſima, ſcilicet beſtialitas, id eſt, coitus cum beſtijs. Aliud genus hujus luxuriæ eſt peccatum non contra naturam, ſed contra naturalem reuerentiam, quam debemus coniunctis; & dicitur inceſtus. Quod quidem peccatum grauius eſt cum coniunctis conſanguinitate, quàm affinitate; & quantò gradus eſt propinquior, tantò peccatum grauius. Tertium genus eſt peccatum contra rationem, vt eſt fornicatio ſimplex cum ſoluta, non virgine, & grauius eſt ſtuprum cum virgine: Adhuc grauius eſt ſtupro adulterium cum nupta, præſertim ſi etiam vir ſit vxoratus, quia eſt duplex adulterium. Adhuc autem grauius eſt ſacrilegium, ideſt, ſi ſit cum perſona ſacra. Adhuc omnia iſta ſunt grauiora, ſi fiunt cum violentia; quia tunc dicitur raptus; & aggrauatur etiam peccatum, quando concurrunt multæ circunſtantiæ ſimul, vt putà, cùm quis cognoſcit conſanguineam ſuam, ſacratam Deo, per vim; quamuis enim ſit vnum peccatum, quia

eſt vnus actus, habet tamen tres circunſtantias variantes ſpeciem, quæ ſunt de neceſſitate confeſſionis, videlicet, quia eſt inceſtus, ſacrilegium, & raptus.

Secundò, interroga de actu luxurioſo non conſummato: de quo nota generalem regulam, q; omnis talis actus eſt peccatum mortale, ſi finis eius eſt delectatio luxurioſa; finis enim dat ſpeciem actui morali, hoc autem poteſt eſſe dupliciter. Vno modo in tactibus, & oſculis; vel in ſe, vel in ſecundam perſonam: & de his actibus debes interrogare ſecundum ſpecies ſupradictas; vt putà, ſi ea, quam tetigit ad hunc finem, fuit conſanguinea, vel nupta, vel ſi fuit maſculus, & alia, quæ ſuperiùs diximus. Alio modo in actibus aliorum ſenſuum, vt in aſpiciendo, audiendo, olfaciendo, comedendo propter hoc, vel loquendo turpia verba, vel in veſtitu, vel in choreis, vel in alijs huiuſmodi. Quia ſcilicet hos actus facit propter delectationem luxuriæ, vt ſcilicet perueniat ad actum peccati mortalis, vt putà, vt placeat alicui mulieri, vel adoleſcenti, quam vel quem deſiderat ad peccatum tale inducere; & peccat mortaliter. Si autem in huiuſmodi actibus delectatur, non intendendo talem finem, ſed ſolùm ſenſualitatem, communiter eſt veniale. Poſſet tamen eſſe tanta delectatio, vel adeò turpes tactus eſſe poſſent in huiuſmodi,

di,

di, quòd erit mortale peccatum; & tantò magis hoc verum eſſet, quantò magis ſe exponeret periculo cadendi in aliquam damnabilem corruptionem.

Tertiò, interrogandum eſt de cogitationibus dupliciter: primò de his, in quibus fuit expreſſus conſenſus in actum peccati mortalis: omnes enim tales ſunt peccata mortalia. Et debes interrogare etiam de ſpeciebus ſuperiùs aſſignatis: verbi gratia, ſi deſiderauit cognoſcere maſculum, aut fœminam, & cætera, quæ diximus. Secundò de his, in quibus fuit expreſſus conſenſus in delectationem cogitationis; ideſt, de cogitatione moroſa: & ſi non ſit expreſſus conſenſus in actum; quia ſcilicet homo non conſentit ſe velle facere actum, nec deſiderat, nec faceret ſi poſſet, tamen conſentit deliberatè delectari in tali cogitatione inhoneſta, ita quòd non ſolum non expellit eam, quinimò gaudet in aduentu eius, & deliberata ratione immoratur in ea, & eligit ſic delectari, & paſci; peccatur mortaliter ſecundum S. Thomam, ſicut dictum eſt ſuprà de odio.

Tertiò, de cogitatione, in qua nec fuit expreſſus conſenſus in actum, nec in delectationem cogitationis; in qua ſi homo fuit valde negligens ad expellendam eam, ita quòd allectus à delectatione, & quaſi inuolutus neſcit ſe explicare

propter dubitationem conſenſus, debet confeſſor interrogare de ſpecie, & quoties hoc fecit: ſi autem aliqua vſus negligentia eſt, non tamen multa, eſt veniale ſecundum omnes.

DE HIS, QVAE FIVNT *in Matrimonio*.

INterrogandum eſt etiam de his, quæ fiunt in matrimonio. Si enim matrimonium eſt conſummatum, tenetur vxor petenti viro reddere debitum; & ſimiliter vir vxori, ſiue expreſsè petat, ſiue per ſigna; & ſi alter ipſorum omnino non vult debitum reddere peccat mortaliter, quia facit contra iuſtitiam, niſi ex rationabili cauſa, videlicet, infirmitatis, vel impotentiæ hoc fecerit. Et quamuis quilibet ipſorum teneatur alteri reddere debitum, poteſt tamen alter alterum monere leuiter, ne exigat debitum, vel propter ſolemnitates, vel dies ieiuniorum, vel tempore menſtruorum, vel quando mulier eſt pregnans: ſi tamen alter non vult abſtinere, exactus tenetur reddere. Exigere autem debitum in diebus ſolemnibus, & ieiuniorum non eſt peccatum mortale, ſed vel nullum, ſi fiat ex rationabili cauſa; vel veniale, ſi fiat ex infirmitate concupiſcentiæ. Quando enim coniunguntur inuicem per copulam carnalem cauſa prolis ſuſcipiendæ, vel

cau-

cauſa debiti reddendi ſolùm, nullum eſt peccatum, imò eſt meritum; quando verò hoc fit ratione remedij, vel propter voluptatem, peccatum eſt veniale, ſi ſtant in limite matrimonij, ideſt, quòd hoc non faceret vir cum aliqua alia, quàm cum vxore; nec vxor cum alio, quàm cum marito; aliter eſſet peccatum mortale, cognoſcendo vxorem tamquam adulterè. Eſt etiam peccatum mortale, quando non ſeruatur debitum vas. Si autem non ſeruatur debitus modus à natura inſtitutus, quamuis non ſit ſemper peccatum mortale, tamen poteſt eſſe mortale in aliquo caſu; maximè autem, quando fit tali modo, quòd ex eo actu proles ſequi non poteſt. Hoc tamen cognoſcere eſt difficile, quia etiam dicunt quidam, quod ſi mulier ſupergrediatur virũ, nõ impeditur generatio. Scito tamen, quòd hi actus illiciti, & tales modi coeundi, ſunt ſignum mortalis concupiſcentiæ, & ſunt omnino prohibendi: & vbi eſt dubitatio de mortali non debent abſolui, qui noluntabſtinere. Poſſet tamen ex infirmitate, vel prægnatione non ſeruari debitus modus ſine peccato, ex cauſa rationabili, ſemotis damnabilibus concupiſcentijs. Nota etiam, quòd quando vir & vxor ſe inuicem tangunt inhoneſtè, nolentes ad actum venire matrimonij, ſed propter voluptatem; quamuis non ſit ſemper peccatum mortale, tamen eſt

ex hoc, prohibendum; maximè quando tanta eſſet turpitudo, qua manifeſtè appareat damnabilem eſſe eorum concupiſcentiam, nè matrimonialia fiant meretricia. Quando autem non eſt adhuc conſummatum matrimonium, ſed tamen interuenit conſenſus de præſenti, non ſtatim tenentur reddere ſibi inuicem debitum, ſed datur tempus, in quo nondum corpus vnius tranſit in poteſtatem alterius; infra quod tempus in locis, vbi eſt conſuetudo, quòd ante conſummationem matrimonij ſponſi accipiant benedictionem ab Eccleſia, ſi conſummant matrimonium ante benedictionem, mortaliter peccant: ſecùs eſt, vbi non eſt talis conſuetudo. Et ideò tactus inhoneſti infra illud tempus ad hoc ab eis tentati, vt ad conſummationem perueniant, & ſimiliter omnes corruptiones procuratæ per ſimiles tactus, ſunt peccata mortalia, quia adhuc corpus vnius non eſt in poteſtate alterius. Si autem tangant ſe inuicem ex quadam beneuolentia, non eſt peccatum mortale, niſi fortè ſint nimis turpes tactus, & periculoſi, de quibus prudentia confeſſoris iudicabit. Similiter dicendum eſt de his, qui ſolum per verba de futuro ſponſalia contraxerunt, niſi quod iſti grauius peccant; quia adhuc illa ſponſa non eſt ſua, nec ſponſus eſt ſuus: de hoc .n. eſt ſolum futurum, vt ſcilicet ſit ſua, & ipſe ſuus.

DE

DE ORNATV
Mulierum.

CIRCA ornatum mulierum, qui prouocat aliquando viros ad luxuriam; eſt ſciendum, quòd ſi hac ſe intentione ornent, vt viros ad luxuriam prouocent, abſque dubio peccant mortaliter toties, quoties hac intentione ſe ornant, vel ornauerunt. Si autem ex animi leuitate, vel ex vanitate, vel inani gloria, duo erunt conſideranda. Primum eſt affectus, qui poteſt eſſe tantus, quòd erit peccatum mortale: & ſignum; quòd talis affectus ſit peccatum mortale, eſt, quando nullo modo dimittere volunt talem ornatum, etiam ſi ſit in ſcandalum proximorum. Secundum ſignum eſt ſcandalum; ſi enim eſt ita inhoneſtus, vt probabiliter credatur propter hoc viros nimiùm ad luxuriam prouocari, videtur eſſe peccatum mortale; quia in hoc non videtur curare de proximorum ſalute, ſeu damnatione. Aliter autem eſt veniale peccatum; niſi fortè ſit monialis, vel perſona, cui ornatus talis nullo modo ſit conueniens. Si verò ornat ſe mulier, vt viro placeat, nè ille ad extraneas accedat, non peccat, dummodò ornatus non ſit nimiùm inhoneſtus, & in ſcandalum, & ruinam aliorum.

Quamuis verò mulier poſſit ſine peccato occultare turpitudinem, ex aliqua cauſa prouenientem, non tamen ſine peccato poteſt ſe colorare, & alia figmenta corpori ſuo adhibere; non tamen ſemper mortaliter peccat, ſed eſt iudicandum de mortali, & veniali ſecundum intentionem, & affectionem, & ſcandalum, ſicut iam ſuprà dictum eſt.

DE SEPTIMO ET DECIMO *præcepto, & primò de Auaritia.*

SEptimum præceptum (Non furtum facies) Quia autem furtum poteſt fieri corde, & opere; de duobus præceptis hic peccatorem examinabis, videlicet de ſeptimo, & decimo. Primò igitur interroga de auaritia. Auaritia enim eſt inordinatus appetitus diuitiarum, qui appetitus ſi in tantum creſcit, vt non vereatur quis facere contra charitatem Dei, & proximi, eſt peccatum mortale: vt putà, quando quis per fraudes, ſeu per violentiam aliena rapit, vel retinet ea, vel quando habet quis ſuperfluum ſupra ſtatum ſuum, & non vult pauperi erogare propter auaritiam: & videndo in extrema neceſſitate aliquem non vult ei ſubuenire, vel aliquid huiuſmodi.

DE

DE SIMONIA.

SEcundò, interrogandum eſt de Simonia. Circa quam nota, quòd totum pondus huius materiæ ſtat in verbis Saluatoris dicentis: (Gratis accepiſtis, gratis date) Oportet enim & ſacramenta, & beneficia, & cæteras res ſpirituales gratis dare, & gratis accipere; quia nullus poteſt vendere, nec emere, cùm ſint Dei, non noſtra; & nullo pretio æſtimari poſſunt, & dominus præcipit ea gratis dare. Vbi ergo interuenit aliquod pretium, vt pecunia, vel obſequium, ſeu fauor temporalis, ſiue preces, maximè pro indigno, ſiue quæcunq; alia res, quæ pecunia æſtimari poteſt, eſt Simonia. Vnde diffinitur à Theologis: *Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum;* vbi per emptionem, & venditionem intelligitur omnis contractus non gratuitus, vt renunciatio, & tranſactio, quando fiunt perpetuò in ſpiritualibus, propter permutationem beneficiorum, quam poteſt facere Epiſcopus, ſi viderit expedire; ita tamen quòd non licèt partibus de hoc; vel ſuper hoc paciſci abſque periculo ſymoniæ. Spiritualia autem ſunt omnia ſacramenta, ingreſſus monaſterij, prædicationes, correctiones, & punitiones prælatorum, officia mortuorum, ora-

orationes, & ſimilia. Annexa verò ſpiritualibus, ſicut corpus annectitur animæ, ſunt beneficia eccleſiaſtica, quæ nunquam vendi poſſunt tamquam purè corporalia: imò emere, vel vendere beneficia, ſemper ſimoniacum, eſt quia quando vnum non poteſt vendi ſine altero, vendito vno, alterum non poteſt inuenditum derelinqui. Annexum verò ſpiritualibus non tamquam corpus ad animam, ſed tamquam colligatum ei, vel coniunctum, ſicut ornamentum coniungitur veſti, eſt iuſpatronatus. Quod quidem, cùm ſit ſpirituale, nec emi, nec vendi poteſt, tamen poſſeſſio, ſeu illud temporale, cum quo coniungitur, poteſt vendi: quod ſi venditur, iuſpatronatus tranſit cum eo gratis. Calices verò, & paramenta ſunt annexa ſpiritualibus, tamquam fini: vnde materia vendi poteſt: vna enim Eccleſia poteſt alteri vendere calices, & paramenta, dummodò non plus vendant ea ex eo, quòd ſint benedicta, vel conſecrata. Laicis autem non poſſunt vendi poſt conſecrationem, niſi priùs conflentur, vel deſtruatur forma, ita vt ampliùs non remaneant conſecrata. Et ſimiliter intellige de ſepultura, nam ſi in ea nunquam fuit aliquis ſepultus, poteſt vendi: quia nundum factus eſt locus ille religioſus, niſi ſit in loco ſacro, vt in Eccleſia, vel cemeterio; vel niſi Epiſcopi authoritate fuerit conſtructa; ſecùs ſi in ea fuit

ali-

Digitized by Google

aliquis ſepultus. Poſſet tamen vendi, vbi fuit quondam Eccleſia, vel cœmeterium pro neceſſitate pauperum, vel Eccleſiæ, corporibus mortuorum priùs ad alium locum delatis; quia intelligitur vendi ſola materia, & non aliquod ſpirituale, ſicut ſuprà dictum eſt. Ex inſtitutione autem Eccleſiæ vicedominatus, vel caſtaldionatus, vicaria, economatus, & aduocatia dicuntur ſpiritualibus annexa; quæ vendere, dicitur ſimoniacum, quia prohibitum. Nota tamen, quòd, quia ſacerdotes, & alij miniſtrantes debent de Altari viuere, ſeruandæ ſunt conſuetudines Eccleſiæ in oblationibus, quæ fiunt pro Miſſis, pro anniuerſarijs, pro officijs, & ſepulturis mortuorum: non tamen debent ſacerdotes antequàm talia ſpiritualia exhibeant, exigere huiuſmodi conſuetudines, ita quòd aliter nolint exhibere ſpiritualia, niſi priùs ſoluantur: ſed gratis debent priùs ſpiritualia exhibere, deinde conſuetudines exigere. Quas etiam, ſi qui nolunt ſoluere poſſunt ſuperiores eos cogere ad ſoluendum.

DE MONASTERIIS.

CIrca monaſteria etiam, nota quòd moniales non poſſunt aliquid petere pro ingreſſu ali-

alicuius puellæ abſq; periculo Simoniæ; niſi monaſterium ſit adeò tenue, quòd non poſſit puellam ingreſſuram cum alijs ſuſtentare.
Tunc etenim poteſt alimenta petere; ſed facere pactum ante ingreſſum monaſterij, eſt periculoſum. Nota autem, quò ad pœnam peccati, quod qui fuerit ordinatus ſimoniacè, vel à ſimonaico ſcienter, eſt ipſo iure ſuſpenſus, nec poteſt miniſtrare. Qui autem recipit beneficium ſimoniacè, tenetur illud reſtituere cum fructibus, nec poteſt repetere pecuniam datam pro hac cauſa, quia turpiter dedit; pecunia enim ſimoniaca debet dari Eccleſiæ, in cuius iniuriam data eſt, vel eroganda eſt pauperibus, & egenis.

DE DECIMIS.

INterroga etiam in hoc loco de decimis. Vbi nota, quòd præceptum de decimis ſoluendis, partim eſt diuinum, partim eſt poſitiuum. De iure diuino, & naturali eſt ſubuenire miniſtris Eccleſiæ, qui nobis dant ſpiritualia; quia nemo militat ſuis ſtipendijs vnquam. Soluere autem decimam partem, vel quartam, vel ſeptimam, hoc eſt de iure poſitiuo, quilibet ergo tenetur ſoluere decimas, vbi eſt conſuetudo. Vbi autem non eſt conſuetudo, nullus videtur teneri, quia præſumitur, quòd Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia donet ſubditis opportuna. Debet tamen quilibet eſſe paratus reddere, ſi Eccleſia peteret, quia ipſa petere poteſt: nec contraria conſuetudo abrogat hoc ius, cùm ſit diuinum; bene facit tamen Eccleſia, vbi non eſt conſuetudo, non petere, nè ex hoc ſcandalum oriatur.

DE VSVRA.

TErtiò, interroga de vſura. Vbi nota, quòd vſura eſt vitium, quo quis mutuando ratione mutui aliquid accipit, vel ſperat vltra ſortem, dicente ſaluatore: (Mutuum dare, nihil inde ſperantes.) Mutuum enim dare eſt de cõſilio, niſi in caſu extremæ neceſſitatis; ſed nil inde ſperare eſt præceptum Dei, & eſt contrarium iuri naturali; nam eadem res bis, vel id, quod non eſt, venderetur.

Oportet autem in quolibet caſu de vſura conſiderare tria. Primum ſi eſt ibi mutuum; quod tunc eſt, quando transfertur dominium, id eſt quando ille, qui mutuo accipit, ſtat toti periculo rei mutuatæ. Secundum eſt, ſi ille, qui mutuat, accipit aliquid vltra ſortem; aliquid dico, quod vel eſt pecunia, vel peccunia æſtimari põt; vt eſt obſequiũ, vel fauor temporalis. Tertium, ſi hoc facit ratione mutui, ſi. n. acciperet vltra ſortem aliquid, non ratione mutui, ſed ratione intereſſe, vel alterius cauſæ, non eſſet vſura.

Si

ſi enim aliquis mutuando incurrit damnum; debitum eſt, vt ipſum damnum emergens ex tali mutuo recompenſetur ab eo, cui mutuatur; cùm ipſe ſit cauſa illius damni.

Non debet tamen recompenſare damnum lucri ceſſantis, ideſt quod incurrit ex eo, quòd de pecunia non lucratur, cùm multipliciter à lucro poſſet impediri, niſi fortè ſecundum opinionem aliquorum (quæ non mihi diſplicet) ille, qui mutuat, vellet tunc exercere pecuniam ſuam in aliqua arte licita, quæ ſemper, vel quaſi ſemper lucratur; vel ex ea aliquam poſſeſſionem emere; ita quòd apparet manifeſtum damnum mutuanti emergere ex tali mutuo. Tunc ergo damnnm illud, quod ex hoc emergit, recompenſare non eſt vſura: non tamen oportet illud ex æquo recompenſare, quia adhuc non habet lucrum in manibus, & poteſt plus, vel minus lucrari: & conſiderandum erit damnum ſecundum menſuram periculi, vel dubij non lucrandi, ad iudicium boni viri; hoc tamen non eſt multùm dilatandum, nec prædicandum, ne aperiatur via voragini vſurarum.

Circa animalia verò fiunt diuerſi contractus; aliquando fit cum ruſtico contractus locationis, ita quòd dominus dat animalia ruſtico pro certa quantitate pecuniæ, vel grani, vel alterius rei annuatim: aliquando fit contractus

ſocie-

ſocietatis, vt quando dat aliquis oues paſtori, & ambo ſtante æqualiter periculo, & lucro, vel ſecundum conuentionem inter eos factam pro tertia parte, vel quarta; aliquando eſt contractus mixtus, ideſt locationis, & ſocietatis ſimul, vt putà, locat quis boues ruſtico pro certa quantitate frumenti, & apponit pactum de damno, & lucro rei locatæ; omnes iſti caſus ſunt liciti ex natura ſua. Verùm poſſet in eis aliqua fraus, vel iniuſtitia inueniri per aggrauationem vnius partis. Difficilè eſt tamen dare regulam generalem, qua cognoſcantur omnes huiuſmodi caſus, an ſint liciti, vel illiciti, propter diuerſitatem locorum, & animalium, & paſcuorum, & temporum, & conſuetudinum. Oportet enim, quòd partes ita æquiparentur, quòd re vera nulla ipſarum ſit nimis grauata: hoc autem erit determinandum à prudentibus confeſſarijs, ſecundum loca, tempora, conſuetudines, & alias circunſtantias. Aliquando autem animalia traduntur in cuſtodiam, & tunc conſtituitur certum ſalarium cuſtodienti, vel certum lucrum, quod de animalibus prouenit: & hoc quoq; eſt licitum, dummodò ſalarium æquiparetur labori, & dominus ſtet periculo, ſcilicet, animalium, quod non accidit ex culpa cuſtodientis. Aliquando verò traduntur per modum mutui, vt quando traduntur æſtimata certo

pre-

pretio; & tunc ſi dominus vult ea eſſe firma in tali pretio, lucrum, & damnum remanet penes eum, qui recipit: aliter non erit caſus licitus; eſt enim idem, ac ſi mutuaſſet ei tantum peccuniæ.

DE EMPTIONE, ET venditione.

QVartò, interrogabis de emptione, & venditione. Circa quas debes ſcire, quòd ad iuſtitiam commutatiuam duo requiruntur, ſcilicet, debitum, & æqualitas. Aequalitas autem inter vendentem, & ementem debet conſiderari ſecundum pretium ſtatutum à lege; vel à conſuetudine, vel à iudicio prudentum, quod tamen pretium non eſt punctuale, quia paruus exceſſus, & paruus defectus non tollit iuſtitiam; parum enim pro nihilo reputatur. In venditione autem ad terminum conſidera, vtrum res tantùm valeat, conſiderato tempore, & alijs circunſtantijs: ſi enim pluris vendit eam notabiliter: quàm valeat, tenetur ad reſtitutionem, & breuiter ſemper ſta in hoc; quòd ratione illius dilationis non poſſunt res vendi pluris, quàm valeant. Sed tamen nota, quòd rebus communiter quinque pretia ſtatuuntur, ſcilicet primum deficiens

ciens, ſecundum mediocre; tertium ſummum, quod eſt quaſi punctuale, quod licitè excedi non poteſt; quartum excedens, ideſt quod excedit terminum, quintum, & vltimum ſuperexcedens, ideſt illud, quod ſuper excedit notabiliter pretium ſummum. Ille ergo, qui vendit, poteſt licitè vendere ei, qui pecuniam dat ſtatim, & rem ſuam pro pretio mediocri, vel deficienti; ei autem, qui non ſtatim dat pecunias, poteſt eam ad terminum vendere pro pretio ſummo, & quaſi punctuali; quod autem eſt in termino, qui excedit, non debet, nec licitè poteſt ſecundum iudicium proborum hominum. Non autem poteſt alicui vendere pro alijs pretijs, ideſt, excedenti vel ſuperexcedenti. Porrò ille, qui emit, non poteſt emere licitè pro pretio deficienti, etiam ſi ſtatim det pecunias; quia hoc eſt contra iuſtitiam, & æqualitatem. Si autem ex eo, quòd aliquis non ſtatim dat pecunias, mercator incurrit aliquod damnum; vt iam tactum eſt ſupra, cum de vſura loqueremur; non debet ei vendere, ſed ſi omnino ille inſtat, & rogat, vt ei talem rem vendat, poteſt ad iudicium boni viri damni compenſationem mercator accipere, loquendo de damno eo modo, quo dictum eſt ſuprà.

L DE

Digitized by Google

DE RESTITVTIONE.

QVINTO, interroga de reſtitutione. Circa quam nota, quod vnuſquiſque tenetur reſtituere non ſolum id, quod accepit iniuſtè proximo ſuo, ſed etiam debet ſatisfacere eidem quocunque damno illato, ſiue ſpirituali, ſiue temporali: quia reſtituere nihil aliud eſt, quam iterum ſtatuere alterum in ius poſſeſſionis ſuæ. Ideo qui retrahunt aliquos à religione, vel à bona vita, tenentur facere, quod poſſunt, vt eos reſtituant in gradum priſtinum, ſi poſſunt: & tenentur religioni etiam ſatisfacere: quia tamen hæc materia eſt difficilis, in tali caſu oportet maturo conſilio vti. Qui etiam occidunt aliquem, vel mutilant, tenentur domui eius, & ipſi de damno, vel damnis inde ſequentibus ad iudicium boni viri; & nota, quod non ſolum tenentur, qui rem alienam accipiunt, vel damnum inferunt, ſed aliquando alij, qui nihil rapuerunt, prout in his verſibus continetur, qui infra ſcribuntur, ſcilicet.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

CIrca quos nota, quod ſemper qui eſt cauſa ſufficiens damni alterius, tenetur ad re-

ſtitu-

ſtitutionem; qui ergo iubet fieri furtum, vel damnum; qui conſilium dat, ſi ſine tale conſilio non fuiſſet factum furtum: ſimiliter ſi conſentit, ita quod ſi non conſenſiſſet, factum non fuiſſet: ſimiliter dic de palpone, & adulatore, & excitatore, qui excitat ad furtum: & ſimiliter de receptore latronum, vel furti, item quod per illam receptionem impeditur reſtitutio: omnes enim iſti tenentur inſolidum reſtituere; ſi ille qui accipit, non reſtituit. Participans autem, ideſt, qui participat de re accepta, tantum tenetur reſtituere, quantum accepit: Participans verò, qui aſſociat latrones, quod ſine eo non fieret furtum, inſolidum reſtituere debet. Et ſimiliter quando multi faciunt vnum corpus, & vna accedunt ad furtum, quilibet tenetur inſolidum: ſi tamen vnus ſoluit pro omnibus, liberantur omnes ab eo, qui fuit damnificatus; tamen illi, qui ſatisfecit, alij tenentur reſtituere partem ſuam. Qui autem tacet, cum videt furari, vel qui non obſtat, vel qui non manifeſtat, ſi non eſt officialis, qui ad hoc teneantur non tenetur ad reſtitutionem, quamuis peccet: ſi autem eſt officialis, vel tenetur ad hoc faciendum, vt ſunt Baliui; ſatellites, Prætores, Vicarij, Commiſſarij, & Domini Ciuitatum, tenentur inſolidum. Et ſciendum, quod reſtituere aliquid debens, id ſtatim, quum commodè poterit,

Digitized by Google

boni viri arbitrio; facere tenetur, niſi creditoris condonatio, ſeu voluntaria etiam dilatio, vel debitoris vera impotentia, à reſtituendo excuſent; aduertendum autem, illum dici non poſſe reſtitutionem facere; qui eſt in extrema neceſſitate; tum etiam qui nullo modo poteſt, vel ſaltem non commodè; dicitur autem ille commodè non poſſe, qui ſine damno magno ſuorum bonorum, ſuæ vitæ, ſalutis aut famæ id efficere nequit: ſcias tamen magnum propterea non dici damnum, eò quòd ſint res magnæ alienæ reſtituendæ; id enim non eſt ſuorum iacturam facere, ſed aliena relinquere; nec etiam dicitur magnum damnum propriorum bonorum, non lucrari, eò quòd reſtituturus eſt, quoniam id non eſt admittere ſuum, ſed alieno non vti. Inſuper proprium damnum non excuſat, cùm reſtitutionis dilatio magnum etiam ei damnum, cui eſt reſtituendum, infert.

Nota etiam, quod ſi quis ſcienter emit rem furatam, vel per vſuras, ſeu aliàs iniuſtè extortam, tenetur eam reſtituere; & imputatur ſibi, quia emit, quod emere non debebat. Si autem ignoranter, & dominus rei eam repetat, tenetur eam etiam reſtituere domino, & contra illum, qui vendidit, agere debet.

Digitized by Google

DE LVDO.

SI quis autem ludendo vicit, in quatuor caſibus tenetur reſtituere. Primò, ſi cum his luſit, qui non habent niſi aliena, vt ſunt mulieres vxoratæ, ſi nihil habent vltra dotem, filij familias, religioſi, clerici, non habentes alia bona præter beneficia. Similiter & ſerui, & huiuſmodi, non tamen reſtituendum eſt illis, ſed ſuis ſuperioribus, vel eccleſijs. Secundò, ſi lucratus eſt furtiuè falſificando taxillos, vel chartas, aut per aliquam aliam deceptionem. Tertiò, ſi quis trahit alterum ad ludendum, qui nolebat ludere, ſi lucratur cum eo, tenetur reſtituere, & non intelligitur ſolùm de tractione per coactionem, ſed etiam de exhortatione, quando per nimiam importunitatem trahit ipſum, qui aliàs nolebat ludere. Quartò, ſi leges municipales obligarent ad reſtitutionem ludentes, niſi iam eſſent abrogatæ per contrariam conſuetudinem. Extra iſtos caſus non tenetur quis reſtituere ex neceſſitate, ſed de conſilio tale lucrum erogandum eſt pauperibus, licet quidam dicant, quòd ex neceſſitate etiam quilibet, qui vicit tenetut pauperibus erogare, primum eſt verius, hoc autem tutius. Vnde hortandi ſunt, qui ſic mala acquiſierunt, vt omnino tale acquiſitum pauperibus erogent, quod ſi nolunt, dicentes, ſe non

eſſe obligatos, non eſt eis neganda abſolutio. Porrò qui faciunt chartas, & taxillos, non debent abſolui, niſi deſiſtant ab hoc opere, & a talium venditione.

DE INVENTIS.

EA autem, quæ inueniuntur, ſi apparet, quòd nunquam fuerunt poſſeſſa ab aliquo, vt lapides pretioſi in locis, vbi oriuntur; vel ſi habeantur pro derelicto; non tenetur, qui inuenit, reſtituere; aliter verò tenetur, verum ſi ſunt minima, vel parui valoris, melius eſt ea erogare pauperibus.

DE BELLO.

DE his autem, quæ in bello acquiruntur, nota, quod in bello iuſto, quod fit ab eo, vel auctoritate eius, qui poteſt, & ex iuſta cauſa, & recta intentione; quicquid bellans iuſtè capit ab hoſte, & ab eius auxiliatoribus, qui ſponte ſequuntur eum, facit ſuum, & ſuorum militum. Vnde tota præda debet diuidi vnicuiq; ſecundum proportionem ſuam; nec de damnis illatis in bello, tenentur, qui iuſtè bellant, ſi aliter bellum fieri non potuit. Si autem inferunt damna perſonis, quibus non debent, vel agris, vel villis, a quibus poterant abſtinere, tenentur ad reſtitu-

ſtitutionem. Vnde non poſſunt ſpoliare clericos, vel religioſos, vel peregrinos tranſeuntes, nec mercatores, nec animalia ruſticorum, nec ſegetes accipere; nec damnificare eos, qui non ſunt in culpa, maximè quando bellum poteſt fieri commodè ſine his damnis: aliter tenentur ad reſtitutionem. Iniuſtè autem bellantes tenentur non ſolum de damnis illatis hoſtibus, ſed etiam de his, quæ iuſſerunt hoſtes ſubditis eorum, qui non conſenſerunt, quod bellum fieret iniuſtum. Excuſantur tamen ſubditi iniuſtè bellantes, quando credunt bellum eſſe iuſtum, vel quando dubitant an ſit iuſtum, vel iniuſtum, obedientia enim excuſat eos vſque quo ad perfectam cognitionem veniant, quòd bellum eſt iniuſtum. Non tamen in dubio excuſantur amici, & cæteri non obligati ſeruire illi domino, qui mouet bellum iniuſtum, quia eos obedientia non excuſat, cum non ſint ſubditi, vel obligati; vnde non debent committere ſe diſcrimini, & iuuare aliquem in præiudicium alterius.

DE TVRPI LVCRO.

NOta etiam, quòd ſi quis lucratur turpiter, ideſt ex turpi cauſa, vt eſt ex meretricio, non tenetur ad reſtitutionem; quamuis ſit conſulendum, quòd eroget illud pauperibus. Verum ſi quis promiſerit meretrici, vel

puero pecuniam, vel aliquid huiuſmodi, ita quòd propter talem promiſſionem conſenſerit, & peccatum expleuerit; non tamen tenetur de neceſſitate reddere, quod promiſſit, ſicut nec illi tenentur reddere, & reſtituere ei, qui dedit turpiter; quia in turpi cauſa melior eſt conditio poſſidentis.

DE IVDICIBVS.

INterrogandi ſunt etiam diligenter iudices, aduocati, procuratores, & notarij, & teſtes in iudicio vocati, ſi ex craſſa ignorantia, vel magna negligentia, vel malitia damnificauerunt clientulos; vel etiam è conuersò, ſi defenderunt cauſas iniuſtas; vel ſi, cùm poſſent eas terminare, prolungauerunt nimis, vel falſificauerunt inſtrumenta, vel appellauerint iniquè à ſententia iuſta, vel accuſauerunt aliquem iniuſtè, ſeu teſtati ſunt falſum; quia tenentur in his, & ſimilibus caſibus ad reſtitutionem.

Et breuiter, ſecundum conditiones hominum, & artes, interrogabis quemlibet, ſi damnificauit proximum, & in quo damnificauit eum. Et ſcito, quòd meliùs ipſi, ſi volunt rectè confiteri, ſcient dicere damna, quæ proximis intulerunt, & de ipſis iudicare in particulari, quàm nos. Ideò non opus eſt nunc verba protrahere, per ſingulas artes diſcurrendo.

DE

DE OCTAVO PRAECEPTO, *Scilicet de falſo teſtimonio.*

OCtauum præceptum eſt (Non falſum teſtimonium dices) Circa quod primò interrogabis de his, quæ fiunt in iudicio: a iudice quidem, ſi iuſtè iudicauit, ſi iudiciario ordine proceſſit, ſi timore, vel amore à iuſtitia receſſit: Aduocatos autem, procuratores, & notarios, ſi quid iniuſtè egerunt.

Nota autem, quòd ſi aliquis à iudice interrogatus ordine iudiciario, ita quòd præceſſerit infamia, & habeantur teſtes, & cætera, quæ requiruntur ad iudiciarium ordinem; tenetur reſpondere veritatem, etiam ſi non daretur ei iuramentum de veritate dicenda: vnde peccat mortaliter, ſi non dicit veritatem; ſecùs ſi non interrogaretur cum debitis circunſtantijs, etiam cùm iuramento; tunc enim quamuis non debeat dicere mendacium, poteſt tamen, imò debet abſcondere veritatem cum cautela, aliter mortale non effugiet peccatum.

DE IVDICIO TEMERARIO.

DE iudicio etiam temerario eſt ſciendum, quòd quando aliquis, non habens manifeſta

nifeſta indicia de peccato mortali, iudicat; id-eſt firmiter in corde ſuo diffinit, proximum ſuum eſſe in peccato mortali, vel peccaſſe mortaliter: tunc ipſe mortaliter paccat, quia vſurpat ſibi iudicium Dei cum contemptu proximi ſui. Si autem iudicat de veniali, non peccat niſi venialiter; ſi verò habet manifeſtas euidentias, non peccat, præſertim mortaliter. Nec mortaliter peccat, quando non habens eas, non iudicat, ſed ſolùm ſuſpicionem habet; in quo caſu aliquando nec venialiter peccat, quia ſuſpiciones euitare non poſſumus.

DE MENDACIO.

DE mendacio verò hoc eſt ſciendum, quod mendacium non ſemper eſt peccatum mortale, ſed in aliquo caſu; vt pote quando eſt perniciosum, videlicet contra fidem, vel honorem Dei, vel ſalutem proximi, vel etiam eſt in damnum proximi temporale notabile. Prædicator autem, ſi ſcienter prædicat mendacium, mortaliter peccat; quia eſt in loco, in quo tenet perſonam ſummæ veritatis.

Mendacium autem iocoſum, vel officioſum, ſi ei non adhibeatur iuramentum, eſt peccatum veniale.

Et nota, quòd non ſolùm dicitur mendacium verbo, ſed etiam facto per ſimulationem, & hypo-

hypocryſim. in quibus oportet reſpicere finem, ideſt, quo fine hoc fit. Si enim finis eſt contra charitatem Dei, vel proximi, talis ſimulatio, vel hypocryſis eſt peccatum mortale; vt ſi in gloria hominum ponat finem ſuum, vel ex hoc quærit dignitatem eccleſiaſticam, maximè cum cura animarum; vel quærit inferre aliquod damnum proximo; aliter erit veniale.

DE PECCATIS LINGVAE.

NOta etiam circa peccata linguæ, quòd oportet ſemper duo conſiderare. Primò affectum, ſeu intentionem dicentis, quæ ſi ſit contra charitatem Dei, vel proximi, ſemper eſt peccatum mortale: ſi autem non intendit aliquid, quod ſit contra charitatem Dei, vel proximi, ſecùs eſt.

Secundò, eſt conſiderandum, ſi ex verbis illis ſequitur ſcandalum, vel aliquid, quod notabiliter ſit contra Deum, vel proximum; quia ſic, eſt peccatum mortale talis loqnacitas, propter indiſcretionem loquentis. Verbi gratia in detractione, ſi quis detrahendo, ideſt, dicendo peccata proximi occulta, vel imputando ei falſa, vel bona eius diminuendo quocunque modo, verbo, ſigno, nutu, vel taciturnitate: ſi ex hoc intendit denigrare famam alterius propter inuidiam, vel iram, vel aliquod huiſmodi,

dî, peccat mortaliter. Si autem non intendebat hoc, ſed tamen hoc ex loquacitate ſua ſequitur, non excuſatur à peccato mortali; & tenetur reſtituere famam, quam ſi non poteſt reſtituere, tenetur aliquo modo ſatisfacere. Et nota, quòd non minus peccat qui audiuit, quam qui dicit; imò aliquando plus, maximè cùm audit ex odio, vel audiendo præbet occaſionem dicendi. Si autem audit non libenter, ſed tamen ex quodam reſpectu humano tacet, non peccat mortaliter, niſi fortè videat, quòd ex hoc ſequitur magna Dei iniuria, vel magnum proximi damnum; cui reſpundendo ipſe poſſet remediare, & maximè ſit ſi prælatus, vel pater dicentis, qui tenetur, & debet ſubditum ſuum redarguere, & nullo modo audire. Si quis autem dicat, vel audiat defectum proximi ſui, ex quo non ſequitur denigratio famæ notabilis; id etiam non intendens non peccat mortaliter dicens nec audiens.

Et de detractione prolata applicari etiam valent contumeliæ, per quam proximus præſens inhonoratur; ſuſurrationi, per quam tollitur amicitia: irriſioni, qua contemnitur proximus, qui eſt diligendus; & ſimiliter maledictioni, quam vulgares vocant blaſphemiam, quando dicitur, veniat tibi tale quid, vel mors, vel aliquod aliud malum. In omnibus enim oportet conſiderare effectum, & intentionem

inte-

interiorem dicentis, quæ ſi non eſt ad malum finem intenta, oportet poſteà conſiderare, ſi ex tali loquacitate ſequitur per indiſcretionem loquentis ſcandalum, vel proximo damnum notabile.

In adulatione etiam conſidera finem adulantis, intentionem, vel effectum bonum, vel malum talis adulationis. Vt putà, ſi ex adultatione aliquis efficiatur ſuperbus, vel peior, vel audacior ad malum; poterit adulatio eſſe peccatum mortale, maximè ſi hoc intendebat adulator, vel veriſimiliter credebat, vel etiam dubitabat, ne ſequeretur.

Interroga etiam ſi reuelauit quis ea, quæ habebat ſigillo confeſſionis, vel ſub ſigillo fidei, quia peccauit mortaliter.

Hæc ſunt ergo, quæ mihi videntur interroganda à pœnitente: & licet multa alia poſſent ſubiungi, tamen iſta communiter occurrunt: & per hæc poteris ſaltem de alijs dubitare.

Nunc igitur ſubiungendum eſt, qualiter peccator eſt abſoluendus, & dimittendus.

TERTIA PARS DE MOdo abſoluendi, & iniungendi pœnitentiam.

POSTQVAM peccator fuerit diligenter examinatus, debet confeſſor ex his, quæ

Digitized by Google

audiuit ab eo, conſiderare; ſi ſit aliquis caſus, à quo ipſe abſoluere nequeat, & ſi aliqua ſit excommunicatione innodatus, cuius ei non ſit abſoluendi facultas; debet eum (vt in principio dixi) ad ſuperiorem mittere pro abſolutione, vel ab eo accipere abſoluendi poteſtatem, antequàm abſoluatur à peccatis. Si autem habet aliquod peccatum graue, cuius abſolutio de iure, vel conſuetudine pertinet ad ſummum Pontificem, Epiſcopum, vel alium ſuperiorem, eum ad ſuperiorem remittat, vt ab eo prius abſoluatur; ita tamen quòd ipſe debet audire omnia peccata, tam ea, à quibus non põt, quã ea, à quibus põt abſoluere, vt Medicus cognoſcat totam infirmitatem ægroti: melius tamen efficiet, cautè, & ſecretò quærere auctoritatem ſuperioris, vt vna fieret tantùm abſolutio.

Debet deinde confeſſor examinare, ſi eſt excommunicatus pro damno facto, & ſi poteſt ſatiſfacere; quia ſi poteſt, non debet eum abſoluere, niſi ſatisfaciat. Si autem emendam præſtare non poteſt, debet præſtare idoneam cautionem, ideſt pignoratitiam, fideiuſſionem, vel ſaltem iuratoriam, quòd ſcilicet ſatisfaciet, ſi venerit ad pinguiorem fortunam. Si autem habet aliqua reſtituere, debet ante abſolutionem ipſum ad hoc inducere, ſecundum ea, quæ ſuperius determinata ſunt de reſtitutione: & ſi non poteſt reſtituere, excuſatur: ad impoſſi-

libe

bile enim nemo tenetur: debet tamen habere propoſitum reſtituendi, ſi venerit ad pinguiorem fortunam. Si autem poteſt reſtituere abſolutè, ſed tamen nollet diminuere ſtatum ſuum, non eſt abſoluendus, niſi reſtituat, vel dilationem habeat à creditore, vel donationem: tamen donatio, cùm ſit libera datio, oportet, quòd non ſit facta ex timore, vel verecundia, vel violentia; & hoc relinquitur prudentiæ, diſcretioni confeſſorum, vel etiam pœnitentis. Si enim ex circunſtantijs apparet maníſeſtè, quòd creditor liberè donat, poteſt ſtare debitor cum bona conſcientia. Si autem habet dubitationem debet potiùs conſcientiam bonam, & quietam poſſidere, quàm pecunias.

Poſtquàm igitur peccator fuerit diſpoſitus ad ſatisfactionem, eſt ei pœnitentia diſcretè iniungenda, ita quod magnis peccatoribus; qui non multam oſtendunt contritionem, iniungenda eſt parua pœnitentia, ne multa ligna modico igni ſuperpoſita ipſum extinguant; maximè quando dubitatur, quòd nec magnam, nec mediocrem facerent pœnitentiam, quamuis promitterent facere.

Denuntiandum tamen eſt ei, quàm magnam pœnitentiam ſecundum canones meretur, & hortandus eſt, vt per ſeipſum Deo melius ſatisfaciat. Similiter illis, qui oſtendum excellentem contritionem, eſt iniungenda parua pœnitentia,

tia, quia contritio excedit omnem exteriorem ſatisfactionem; mediocriter autem contritis iniungenda eſt pœnitentia mediocris, prout videbitur diſcretioni confeſſoris. Et quia pœnitentiæ non ſolùm ſunt ſatisfactiones, ſed etiam medicinæ animæ, ideò diligenter aduerte, vt ſemper iniungas talem pœnitentiam, quæ ſit animæ medicina, & non eius ruina. Vnde ſacerdos ſemper deberet iniungere pœnitentiam peccatis confitentis contrariam, vt putà ſuperbo, actum humilitatis: auaro eleemoſynam, accidioſo laborem, & ſic de alijs. Et ſi dicit peccator, quòd non poteſt facere illatam pœnitentiam, debet ſacerdos eum inducere ad eam, vel aliam ſubeundam, allegando grauitatem peccatorum. Quòd ſi peccator recuſet, etiam ſi deberet ſolùm dare ei vnum Pater noſter, non dimittat eum deſperatum.

Deinde, ſi eſt excommunicatus, debet ab excommunicatione prius ipſum abſoluere, vt ſæpe dictum eſt: in qua quidem abſolutione quatuor requiruntur. Primum eſt iuramentum, vt ſcilicet, iuret ſtare mandatis Eccleſiæ, ſeu parere mandatis ipſius abſoluentis, qui tenet perſonam Eccleſiæ. Secundum, eſt ſatisfactio, de qua dictum eſt, vel cautio, ſi non poteſt ſatisfacere. Tertium eſt, oratio, debet enim niſi ſit in publico, peccator denudare ſcapulas,

vel

vel ſcapulam vnam, & ſacerdos cum virgis percutiet, dicendo Pſalmum, (Miſerere mei &c.) vel alium Pſalmum pœnitentialem. Quo dicto, ſubgiungat.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. &c.

Pater noſter, &c. Et ne nos inducas, &c. Sed libera, &c.

Saluum fac ſeruum tuum. Deus meus ſperantem in te.

Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Eſto ei domine turris fortitudinis. A facie inimici.

Domine exaudi. Et clamor.

Dominus vob. Et cum. Oremus.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, vt famulum tuum, quem excommunicationis ſententia ligat, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per Chriſtrum dominum noſtrum. Amen. Deinde fiat abſolutio, cuius forma talis eſt.

Auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, & noſtra, (vel auctoritate mihi commiſſa) abſoluo te à ſententia excommunicationis, quam incurriſti propter talem, & talem cauſam, & toties, quoties eam incurriſti: & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ Dei, & communioni, & vnitati fidelium. In nomine

Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.) Et dicendo hæc omina ſemper verberet eum leuiter, eum tangendo ſolùm.

Quartò, debet ei iniungere mandata rationabilia, & maximè quòd contra illum canoné, in quem incidit, nunquam veniat; vt incendiario quòd nunquam incendat, & ſimilia.

Et nota, quòd quamuis prædicta omnia ſint obſeruanda, cùm quis in foro extraord. abſoluitur; non tamen ſunt de ſubſtantia abſolutionis, quæ poteſt fieri ſimplici verbo, verbi gratia: (Ego abſoluo te, benedico, vel volo, quòd tu ſis abſolutus.) Non habet enim hæc abſolutio determinatam formam, ſicut abſolutio à peccatis.

Vnde propter aliquam rationabilem cauſam præfata ſolemnia prætermitti poſſunt, & maximè verberatio; & hoc præcipuè circa mulieres, quia in eis vel omnino eſt dimittenda, vel ſuper veſtimenta facienda; deinde ſubiungenda eſt abſolutio à peccatis.

Et quia excommunicatio minor facit, quòd homo non ſit particeps ſacramentorum, debet prius abſolui ab excommunicatione minori, ſi ea ligatus eſt, maximè propter participationem cum excommunicatis maiori; & quia facilè incurrit homo in excommunicationem minorem, & contingere queat, confitentem aliqua maiori excommunicatione, interdicto,

aut

aut ſuſpenſione etiam irretitum eſſe; ideò conſueuit ante abſolutionem à peccatis, præmitti abſolutio cenſurarum in hanc ſententiam; ſi teneris aliquo vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, a quo te valeam abſoluere, abſoluo te, ſi, & quatenus poſſum, in nomine patris, &c. deinde abſoluat à peccatis, præmittendo; Miſereatur tui &c. & poſt dicat abſolutionem ſic; Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita B. Mariæ Virginis; & omnium ſanctorum, & quicquid boni feceris, & mali patieris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.) Illud autem quod eſt de ſubſtantia huius formæ, eſt hoc ſolum, videlicet: *(Ego abſoluo te)* cætera verò ſunt, præces; aut generalis pœnitentiæ iniunctio. Si quis autem plenariam indulgentiam à Summo Pontifice impetratam vult habere, ſeu plenariè abſolui à peccatis ſuis in vita, quando eſt ſanus, ſic facies abſolutionem niſi aliter à Pontifice inſtitutum fuerit, abſoluatur vt ſuprà; ſi autem ab omnibus cenſuris abſoluendi facultas detur, abſolutio non conditionaliter, ſed abſolutè dabitur, deinde concedatur ei Indulgentia, ſi

eam debere concedi exprimatur, ſic, poteſtate conceſſa Auctoritate D.N. Papæ do, & concedo tibi omnium peccatorum tuorum, atq; pęnarum pro his debitarum indulgentiam, & remiſſionem, quantum claues Eccleſiæ ſe extendunt & quantum beneplacitum extiterit in oculis diuinæ Maieſtatis, ſecundum quòd ſummi Pontifices conſueuerunt ſpecialiter impartiri; quæ quidem plenaria indulgentia ſit tibi in augumentum virtutis, & gratiæ, & in acquiſitionem vitæ ęternæ, in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Amen. Si verò hanc gratiam habuerit ſolùm pro mortis articulo, ante illa verba: Quæ quidem plenaria indulgentia, &c.) interponantur hæc, videlicet: (Si de hac infirmitate decedas, vel ſi hac vice morieris, aut ſi ſimilia) aliter tibi gratia facta integra remaneat, & ſalua quandocunque in mortis articulo fueris conſtitutus; deinde ſubiunguntur illa verba; (Quæ quide plenaria) Facta autem abſolutione, exhortandus eſt peccator ad perſeuerantiam, & animandus ad tolerantiam tentationum, & demum dimittendus eſt, & domino Deo commendandus, qui eſt glorioſus, & benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hucuſque Sauonarola.

SVM-

SVMMA CANONVM PAENItentialium confeſſoribus valde neceſſaria, & nuperimè hic inſerta.

IN iniungendis pęnitentijs debet confeſſor circumſpectus eſſe, ne vel nimis paruas iniungendo, clauium poteſtas contennatur, capit. Abſit. diſt. 50. vel nè nimium magnas imponendo, pęnitens illas facere prætermittat; capit. Alligant, 26. quæſtio. 6. Vbi. Io. Chriſoſt. ait: Si faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt baiulare, poſueris; neceſſe habet, vt aut faſcem reijciat, aut ſub pondere conſringatur. Sic & homo, cui graue pondus pęnitentiæ imponis, aut pœnitentiam reijciet, aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccat; ideò melius eſt errare in miſericordia remittendi, quàm in ſeueritate vlciſcendi. Olim enim pro vno quoque maximo peccato mortali erat ſeptennis pęnitentia iniungenda. 22. quæſtio. 1. cap. Prædicandum, & 33. q. 2. cap. Hoc ipſum. & §. ſequenti: modo autem arbitrio diſcreti confeſſoris moderanda eſt, vt in c. Deus Diffinitionem, de pęnit. diſt. 1. Sanctus autem Bonauen. in 4. diſt. 20. dicit; Quòd quamuis pęnitentiæ ſint arbitrariæ, tamen canones inſtituunt illas in generali, qualiter imponendæ ſint pęnitentiæ. Nauar. etiam

in ſuo Manu.cap.26. num.19.aſſerit, confeſſarium pœnitenti dicere debere, iuſtam pœnitentiam, quæ ſibi imponenda erat, ſolum Deum optimum Maximum ſcire, & timentes Deum, & cupientes vitare pœnas alterius vitæ, antiquitus ſeptem annorum pœnitentiam pro vnoquoque peccato mortali facere ſolitos fuiſſe, iudicantes tam longam pœnam tam magnæ offenſæ purgandæ adhiberi oportere, quod non intendit imponere, ipſe niſi ſponte velit eam ſuſcipere. Et ſi reſponderit ſe velle, & iudicat illum impoſitam impleturum, iniungat eam, quæ iuſta videbitur, habito reſpectu ad eas, quæ prædictis canonibus pęnitentialibus pręcipiuntur. Hac ergo de cauſa ponere hoc in loco ſummatim hos canones voluimus, vt diſcreti confeſſarij poſſint ipſos, ſicut regulas directiuas, in promptu habere, & ſequantur.

* *
*

CANO-

CANONES POENItentiales libro ſacerdotali conſcripti.

Sacerdos, qui fornicationem admiſerit, pœnitentiam agat decem annis. c. Presbyter. diſt. 82. quoi

Qui ſponſam alienam de præſenti accipit, in pœnitentia ſit ſeptem annis, & quadraginta diebus in pane, & aqua. c. preſcribitur pœnitentiæ modus. cap. 2. de ſponſa duorum.

Monialis, quæ fornicatur, matrimoniúmue contrahit; qui item eam cognoſcit, contrahítue cum ea, pœnitens ſit decem annis. c. Deuotã, 27. q. 1.

Qui Sacerdos Miſſam canit, neque communicat; per annum pœnitentiam agat, nec verò intereà celebret. cap. Relatum, de conſecra. diſtin. 1.

Sacerdos, qui pallio Altaris mortuum inuoluit, pęnitens ſit decem annis, & quinque menſibus: diaconus autem annis tribus, & ſex menſibus. c. Nemo. de cõſec. diſt. 2.

Falſarius, in pane & aqua pœnitentiam agat, quamdiù viuit. c. Nouiſſimus, de verb. ſign.

Qui ſcienter contraxerit, coieritue cum duabus ſororibus, aut cum matre, & filia, quæue coierit vnà cum patre & filio, vel duobus fratribus, pœniten- cap. Si pater 30. q. 4. cap. vlt. 32. q. 7. c. Si quis viduam.

c. vlt. 33. q. vlt. cap. Si quis cum mat. 35. q. 3.

nitentia ei conſtituitur octo annis.

Qui ignoranter duas ſorores, vel matrem, & filiam; vel amitam, & neptem cognoſcit, quarum vna ignorat factum alterius, vterq; penitens ſit ſeptem annis. Si verò ſcienter, perpetuò careat coniugio.

c. Officij, & pœnit. remiſ.

Mulieri, quæ partum ſupponit, quæue de alio viro concipit, penitentiæ, & ſatisfactionis modus præſcribitur arbitratu prudentis Sacerdotis.

c. de viro q. 2. quo in ca. alia quedam cōſtituitur hōi ita peccāti capit. Si homo fornicator. 33. q. 3. capi. Si qui verò. de pœnit. diſtin. 5. ca. vnico 31. q. 3. c. Si quę. 31. q. 1. c. Si quis 32. q. 1.

Sacrilegus, chriſma, calicémue ſacrum polluens, penitens ſit ſemper annis, & in ſingulas hebdomadas tribus diebus ieiunus ſit à carne, & vino.

Celans ſe cognouiſſe mulierem, quę contrahit cum fratre eius, pœnitens ſit ſeptem annis.

Solenniter penitens, ſi poſteà ad vomitum redierit, penitentiam agat decem annis.

Parentes, filiorum ſponſalia dirimentes, & filij ſi conſenſerint, ac poſt rurſus diſſenſerint, communione priuantur.

Qui contraxerit cum ea, quam adulterauit, penitens ſit quinque annis.

Cognoſcens vxorem adulteratam, ante penitentiam peractam, penitens ſit

annis

Digitized by Google

annis duobus.

Sacerdos, qui intereſt clandeſtinis deſponſationibus, per triennium ab officij ſui adminiſtratione amouetur. cap.vlt.d. clandeſt. deſponſationibus ca.vlt.13. q.vlt.

Latro ſi vult confiteri, confitetúrue, in cœmeterio ſepelietur; oratur pro eo, & datur ei corpus Chriſti. c. De his, d.12.cap. Amouere, &c.

Qui clericus præſtandis horarum Canonicarum officijs à Metropolitanæ Ecclesiæ more, & ritu diſcrepat, idq; præ contemptu facit, per ſex menſes communione priuatur. Quicũqs 33. q. 2. quibus in locis alia quædã id delicti ad mittentibus ſcribuntur.

Qui dominum, vxoremue interfecerit, nunquam equitet, non vehiculo vehetur, non matrimonium contrahet, decem ipſos annos carne non veſcetur, vinum non bibet.

Qui matrem interfecerit, decem annis pęnitentiam agat, armis depoſitis. c.Latorẽ. 33.q.2.

Qui ſimplex votum violarit, trium annorum pęnitentia ei conſtituitur.

Qui blaſphemiam in Deum, & B. Virginem, & ſanctos publicè coniecerit pęnitentiam agit ſeptem annis ex formula, quæ præſcripta eſt à Gregorio Nono. ca. Si vir. diſt. 27.c. vlt.de iudicijs.

Vnicuique peccatum mortale committenti, niſi delicti grauitas ſeueriorem ac longioris temporis pœnitentiam, cap. Hoc ipſum.33. q. 2.

poſtu-

poſtulet, pœnitentia conſtituitur ſeptem annorum.

c. Si quis 17.q.4. Qui Eccleſiam incenderit; eam reſtituat; precium det pauperibus, & pœnitens ſit quindecim annis.

c. ſi quis contra, de iniur. & dam. da. Qui domum, areàmue combuſſerit, pœnitentiam agat annis tribus.

c, de illis, 11.q.3. Sacerdos excommunicatus ſi celebret, tribus annis pœnitens ſit; hebdomadiſque ſingulis feria ſecunda, quarta, & ſexta, à vino, & carnibus ieiunet.

ca. Accedẽs. d.50. Sacerdos, qui ſacerdotij ſui gradu, ordineq; in perpetuum amotus, quem degradatum dicunt, celebrare audet, priuatur communione Corporis & ſanguinis IESV Chriſti vſque ad vltimum diem, viaticum tamen in fine ſumens.

ca. Quicquid inuiſibilis, 1.q.1. Epiſcopus diſſimulans corrigere venditionem miniſteriorum; duobus menſibus: ſacerdos hoc agens, quatuor; diaconus tribus, ſubdiaconus, & alij inferiores debita excommunicatione afficiuntur, ſui iudicis arbitrio.

c. Sacro, de ſent. excom. Iniuſtè excommunicanti per menſem vnum ingreſſu Eccleſiæ interdicitur.

Sa-

Sacerdos ſi fornicatus eſt cum filia ſpirituali, aut cum ea, quæ illi confeſſa fuerit ſua peccata, pœnitens ſit duodecim annis, & in Monaſterio Deo ſeruiat omnibus diebus vitæ ſuæ: Si Epiſcopus hoc admiſerit; pęnitentiam agat annis quindecim: mulier autem in Monaſterium trudatur, vbi perpetuò viuat. c. Si quis ſacerdos, &c. Non debet, 30. q. 1.

Scienter rebaptizatus, ſi propter hæreſim hoc ſceleris admittit, pœnitentia afficiatur ſeptem annorum, quarta & ſexta feria ieiunas, & tribus item quadrageſimis pane & aqua. Si verò pro munditia hóc facere putarit; eum pęniteat tribus annis. c. qui bis, de cõſec. diſt. 4. c. 2. de apoſtatis.

Quod ſi ignoranter, non peccat, ſed ideò non promouendus, licèt ſit excellens.

Si Epiſcopus, presbyter, diaconuſue ſponte eſt rebaptizatus: quamdiù vixit pœnitens ſit. Alij verò clerici, & monachi, & moniales ab hæreticis volentes rebaptizati, pœnitentiam agant duodecim annis. cap. Eos quoq;, de conſec. d. 4. quo in loco is pęnitentiæ modus p̃ſcribitur,

Qui coactus falſum teſtimonium dicit, nec mors ſequitur, in pœnitentia ſit duobus annis; ſi ſponte, annis quinque. c. 1. de fal.

Qui

Apud Iuonem parte. 9. capi. 104. Qui filium ſuum opprimit; annis tribus, & vno in pane, & aqua pœnitens ſit.

c. Prædicandum, 22. q. 1. Adultero, fornicatoriue pęnitentia conſtituitur ſeptem annorum.

22. q. 5. cap. 1. Qui iniuſtè quempiam accuſat ad mortem, quadraginta dies pane, & aqua continenter ieiunabit, & per ſeptem annos pœnitentiam aget, non aqua tamen, & pane, ſed arbitrio Sacerdotis. Si verò ob eam accuſationem quis membrum perdiderit; accuſator ieiunabit quadrageſimis tribus pane, & aqua.

Sortilegus, quadraginta dies in pœnitentia ſit.

c. 1. de ſortilegijs. Reſpiciens furta in Aſtrolabio, annis duobus.

c. 2. de ſortileg. Qui ædes magicis cantionibus luſtrat, aliudve tale admittit, & qui ei conſentit, & conſulit, pęnitens ſit annis quinque.

cap. Qui diuinationes, 24. q. 5. Patronus, qui res Eccleſiæ abſumit, per annum excommunicatur.

cap. Filij, 16. q. 7. c. Qui ſacramento 22. q. 4. Qui iurat ſe ad pacem non redire, per annum pęnitens ſit.

cap. Peſſimam. 23. q. vlt. Incendiario hæc pęnitentia dabatur, vt Hieroſolymis, aut in Hiſpania per annum in Dei ſeruitio permaneret.

Qui

Qui hanc pęnitentiam remitteret per annum, item ab ſui muneris adminiſtratione amouebatur.

Qui filiam, ſororémue ſpiritualem in matrimonium ducit; qui item conſentit, pęnitens ſit ſeptem annis.

Si gutta ſanguinis Chriſti in terram cadit; ſacerdos in pœnitentia ſit quinquaginta diebus; ſi ſuper Altare, & ad pannum vnum tranſit, diebus duobus; Si vſque ad ponnos duos, diebus quattuor: Si vſque ad tres, diebus nouem; ſi vſque ad quattuor, viginti diebus.

Si incautè Criſma, & Euchariſtiam clauib. adhibitis cuſtodierit, quamuis nil nefandi acciderit, tribus menſib. à ſui muneris adminiſtratione amouetur.

Epiſcopus, qui cædem fecerit, in pœnitentia ſit quindecim annis, deponatur, perpetuò peregrinetur. Presbyter annis duodecim, quorum tres ieiunet pane, & aqua, & deponatur; Diaconus annis decem, & tribus in pane; & aqua.

Qui homicidium fecerit, pœnitens ſit duobus annis.

Qui caſu cędem facit, conſtituitur ei pęnitentia quinque annorum.

cap. Non oportet, 30.q.3. ca. Si per negligentiam, de conſecra. diſtin.2. quo in loco alia ad hoc pęnitentiæ genus pertinentia traduntur. cap. 1. de cuſtod. Euchariſtiæ. c. Si quis homicidium, diſtin. 50. c. De his clericis, diſtin. 50. c. Eos qui diſtin. 50.

Qui

Digitized by Google

c. Maiori d. ead. Qui verò ſponte, ſeptem annis pęnitens ſit.

c. Qui occiderit. 17.q.4. Qui clericum, monachúmue, diaconum, ſubdiaconúmue occiderit, perpetuò in Monaſterium detrudetur, & publicam pęnitentiam aget ſeptem annis.

c.2. de pę nit. & remiſ. 13.q. 2. Qui presbyterum, duodecim annis.

Qui coierit contra naturam, aut cum brutis, qui item inceſtum fecerit, pænitens ſit amplius quã ſeptem annos; quia clericus deponitur; laicus excommunicatur.

c.1. de mat. contra interdict. Eccl. Qui matrimonium contraxerit contra interdictum Eccleſiæ, per menſem pœnitens ſit, aut arbitratu confeſſoris.

c. Omnis. de pœni. & remiſ. Confeſſor, qui pęnitentis peccatum patefacit; in Monaſterium detruditur ad agendum pęnitentiam.

c. Si quis per ebrietatem, de conſe. di. 2. Qui per ebrietatem Euchariſtiam euomit, ſi laicus eſt, quadraginta diebus; ſi clericus, ſexaginta; ſi Epiſcopus, nonaginta diebus; ſi infirmus, pœnitentiam agat diebus ſeptem.

c. Quicũque, 6. q. 1. Qui periurium ſciens admiſerit; quadraginta dies in pane, & aqua, ſeptem ſequentes annos pœnitens ſit;

&

& nunquã ſit ſine pęnitentia, interiori ſcilicet.

Qui coactus peierat, ſi liber eſt, quadraginta dies, & ſeptem ſequentes annos, ſi ſeruus; tres quadrageſimas, & legitimas ferias pęnitens ſit. c. Qui cō pullus. 22 q. 5.

Qui compellit alium, vt falſum iuret, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem annos in pęnitentia ſit. c. Si quis cōuictus q. 5.

Qui peierat in manu Epiſcopi, in Cruceúe conſecrata, tribus annis: ſi vero in Cruce non conſecrata, per annum in pęnitentia ſit: Qui ignoranter, & coactus, tres quadrageſimas. c. 1. 2. 22. q. 5.

Qui verò neceſſitate aliqua impulſus, periurium committit; tribus quadrageſimis ſit in penitentia. c. eod. Si qui coactus.

Qui menſuras adulterat triginta diebus pane, & aqua ieiunet.

Qui inſcienter hæretico communionem dat, vel accipit ab eo, per annum penitens ſit: ſi verò ſcienter, annis quinque; quòd ſi neſciens permittat eum in Eccleſia celebrare, diebus quadraginta: ſi verò id fecit irreuerentiæ cauſa, annum vnum; ſin autem ad euertendam fidem, annos decem: ſin hæreticus, annos duodecim, c. j. de empt. & vend. c. Si quis dederit. 24. q. 1.

Qui

ca. ſi quis furtũ, 17. q. 1. Qui rapuerit, furatúsue ſit, alteri quadruplum reddet, Eccleſiæ duplum, & ſeptem annis pœnitens erit pane, & aqua.

ca. ſi quis clericus, 17. q. 4. Clerico furi, annorum ſeptẽ, laico quinque annorum pœnitentia conſtituitur; ſinautem vilis eſt res, pane, & aqua per annum pœnitentiam agat.

cap. quiſquis p dolum, 24. q. 3. Qui in Epiſcopum, presbyterúmue manum inijcit, & Eccleſiam vaſtat, impugnatue, in Monaſterium concluſus perpetuò pœnitens ſit.

ADDITIO.

BReuis inſtructio per modum interrogatorij illorum, quæ ſcire debent promouendi ad maiores, & minores ordines; nec non in quibus inſtructi eſſe debent admittendi ad confeſſiones audiendas; nec tamen exiſtiment hæc legentes ſe adeò inſtructos eſſe, quin adhuc maiori indigeant eruditione, ſed potiùs hæc veluti quædam elementa accipiant; quæ ſi ignorent, nullo pacto ingerant ſe ad confeſſiones audiendas, ne, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadant.

* * *

IN-

INTERROGATIONES PROMOVENDORVM ad ſacros ordines; ad Confeſſiones, & ad Curam Animarum.

INTER. Quot ſunt genera Sacramentorum?

Reſp. Duo, ſcilicet veteris legis, & nouæ legis.

Int. Quid eſt ſacramentum in cōni?

Reſp. Eſt ſacræ rei ſignum.

Inter. Quid eſt ſacramentum nouæ legis?

Reſp. Viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ, cuius imaginem gerit, & cauſa exiſtit; vt in baptiſmo ablutio exterior eſt ſignum ablutionis interioris, & cauſa.

Inter. Quæ differentia eſt inter ſacramenta veteris legis; & nouæ legis?

Reſp. Sacramenta veteris legis ſolùm ſignificabant gratiam; ſacramenta verò nouæ legis non ſolùm ſignificant gratiam, ſed etiam cauſant, & conferunt eam.

Inter. Ex quibus conſtat vnumquodque ſacramentum?

Reſp. Ex materia, forma, & intentione miniſtri.

Digitized by Google

Inter. Quæ eſt materia, & forma in vnoquoue Sacramento?

Reſp. Materia eſt elementum ſenſibile, ſeu actus exteriores in aliquibus; vt in Baptiſmo, Aqua; in pœnitentia, actus pœnitentis. Forma verò ſunt verba determinata: vt in Baptiſmo, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Vnde dicebat Auguſtinus; accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.

Inter. Quot, & quæ cauſæ concurrunt in ſacramentis?

Reſp. Sex: efficiens, & eſt ſolus Deus; Materialis, & eſt elementum ſenſibile; Formalis, & ſunt verba determinata; Finalis ipſa gratia, vel character: Meritoria, paſſio Chriſti; Inſtrumentalis, Miniſter, ſiue bonus ſiue malus, dommodò habeat intentionem.

Inter. Licétne addere, vel diminuere alquid ex ijs, quæ pertinent ad formam ſacramentorum: & ſi fieret, perficeretúrne Sacramentum?

Reſp. Quò ad primum dico, quòd non; quò ad ſecundum, ſi addens, vel diminuens intenderet inducere alium ritum diuerſum ab eccleſia, non conficeretur ſacramentum, ſimiliter etiam non conficeretur Sacramentum, ſi additio, vel diminutio eſſet tanta, quòd corrumperet ſenſum verborum ipſius formæ.

Inter. Quid eſt effectus ſacramenti?

Reſp.

Reſp. Gratia, & character.

Interrog. Vnde habent ſacramenta ſuam efficaciam?

Reſp. A paſſione Chriſti per quam Deus meritoriè, & ſatisfactoriè operatus eſt noſtram ſalutem, & ſanctificationem.

Inter. Quot, & quæ ſunt ſacramenta?

Reſp. Septem; Babtiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Inter. Quare ſunt ſeptem?

Reſp. Quia per hæc ſacramenta acquirimus vitam ſpiritualem, ad quam ſeptem requiruntur, ſicut in vita corporali. Primò enim requiritur natiuitas, & hanc conſequimur per Baptiſmum. Secundò conſolidatio, & corroboratio, & augumentatio, & hæc præſtat nobis confirmatio. Tertiò, cibus, qui eſt ipſa Euchariſtia. Quartò, Medicina in infirmitate, quam habemus per pœnitentiam. Quintò remedium contra reliquias infirmitatis, quod confertur per extremam vnctionem. Sextò, requiritur aliquis, qui poſſit hæc nobis miniſtrare, & hic conſtituitur per Sacramentum ordinis. Septimò, oportet, quod ſancta miniſtraturus ſanctè naſcatur, non autem ex nefario coitu, & hoc fit per Matrimonium, quod non ſolùm eſt officium naturæ, ſed etiam Sacramentum.

Digitized by Google

Interrog. Quæ differentia eſt inter hæc ſacramenta?

Reſp. Primò differunt in hoc, quòd quædam ſunt neceſſaria ad ſalutem abſolutè, vt Baptiſmus; quædam neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, vt Euchariſtia ſemel, in anno, & confirmatio volenti accipere primam tonſuram; quædam ſunt neceſſaria ex ſuppoſitione, vt pœnitentia eſt neceſſaria, ſuppoſito quòd aliquis ſit in peccato mortali: quædam ſunt neceſſaria reſpectu Eccleſiæ, vt ordo; quia per ipſum creantur miniſtri Eccleſiæ: quædam ſunt neceſſaria, quia commodum conſequimur finem, nam confirmatio perficit baptiſmum, extrema vnctio, pœnitentiam; matrimonium verò per propagationem conſeruat multitudinem in Eccleſia.

Secundò, differunt in hoc, quòd quædam non poſſunt iterari, ſcilicet tria; Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo; quædam verò ſic, & laudabiliter frequentabuntur, ſcilicet duo, Euchariſtia, & Pœnitentia: & quædam iterabilia, ſed non frequentabilia, duo ſcilicet, extrema vnctio, & matrimonium.

Tertiò differunt in hoc, quòd tria imprimunt characterem in delebilem, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo: & propter hoc non poſſunt iterari: alia verò quattuor nequaquam.

Digitized by Google

Quartò differunt in hoc quòd quædam ſolùm ſunt ſacramenta in vſu, & applicatione, ideſt, dum conferuntur, nam chriſma conſecratum ab Epiſcopo, non eſt ſacramentum confirmationis: ſed ſolùm cùm Epiſcopus vngendo profert formam: Euchariſtia verò non ſolum dum conſecratur, aut ſumitur. ſed etiam conſeruata in tabernaculo, aut vaſe, eſt ſacramentum.

Quintò differunt reſpectu materiæ, & formæ, quæ eſt diuerſa in vnoquoque ſacramento.

Inter. Quis inſtituit ſacramenta?

Reſp. Solus Deus, licèt Chriſtus in quantùm homo habuerit poteſtatem miniſterij principalis, ſeu excel lentiæ.

Interrog. Malus miniſter, conficítne ſacramentum?

Reſp. Siue bonus, ſiue malus, ſiue infidelis, degradatus, excommunicatus, vel ſuſpenſus ſit miniſter, dummodò habeat intentionem faciendi hoc, quod facit ſancta Mater Eccleſia; conficit ſacramentum; licèt peccet: hoc tamen intellige, dummodò ſit miniſter.

Inter. Quot conſiderantur; & reperiuntur in vno quoque ſacramento?

Reſp. Tria, ſacramentum, res ſiue effectus, res, & ſacramentum; vt in Baptiſmo Sacramentum eſt illa ablutio exterior cum forma: Res eſt gratia; Res, & ſacramentum eſt Character.

Digitized by Google

Inter. Quid eſt character?

Reſp. Character eſt ſpiritualis poteſtas, per quam homo efficitur capax ad recipiendum, & miniſtrandum Sacramentum. In Baptiſmo enim homo accipit poteſtatem recipiendi alia ſacramenta, quæ omnia præſupponunt Characterem baptiſmalem. In confirmatione verò homo perficitur, & accipit poteſtatem confitendi nomen Chriſti ex officio. In ordine ordinatus accipit poteſtatem miniſtrandi ſacramenta.

DE BAPTISMO.

INt. Quid eſt Baptiſmus?

Reſp. Eſt ablutio corporis exterior facta, ſub forma præſcripta verborum.

Inter. In Baptiſmo, quid eſt illud, quod eſt ſacramentum tantùm, & res tantùm, & res & ſacramentum?

Reſp. Sacramentum tantùm, eſt ablutio exterior facta ſub præſcripta forma verborum, res tantùm, eſt interior hominis iuſtificatio, res, & ſacramentum, eſt character indelebilis.

Int. Quando fuit inſtitutus Baptiſmus?

Reſp. Quatenus eſt ſacramentum, fuit inſtitutus in baptiſmate Chriſti, quò ad neceſſitatem vtendi, fuit inſtitutus poſt paſſionem Chriſti.

Int.

Digitized by Google

Inter. Quæ eſt materia Baptiſmi?

Reſp. Aqua naturalis; & quicquid retinet ſpeciem aquæ naturalis, vt brodium, aqua ex luto expreſſa, lixiuium, aquæ balneorum ſulfureorum: qui tamen poſſet habere aquam ſimplicem naturalem, peccaret vtendo prędictis: licèt eſſet verè Baptiſmus, qui non eſſet, ſi vteretur aquis artificialibus, vt eſt aqua roſacea, & aquæ lambicatæ.

Int. Quæ eſt forma baptiſmi?

Reſp. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Licèt, ego, non ſit de eſſentia.

Int. Quot modis fit Baptiſmus?

Reſp. Tribus, vel per immerſionem, quæ debet eſſe trina, vel vna, ſecundum conſuetudinem; vel per effuſionem, vt fit noſtris temporibus; effundendo aquam ſuper caput infantis cum prolatione verborum; vel per aſperſionem, vt ſolet fieri, quando eſt maxima multitudo baptizandorum.

Int. Quotuplex eſt Baptiſmus?

Reſp. Triplex, aquæ, quo ordinariè vtitur Eccleſia; ſanguinis, quo baptizantur martyres ſine baptiſmo aquæ morientes; flaminis, quo baptizantur, qui per ſpiritum ſanctum mouentur ad credendum, & cupiunt baptizari, quorum bona voluntas ſupplet vicem baptiſmi, ſi deeſt facultas recipiendi actualiter.

Inter. Quis eſt miniſter huius ſacramenti?

Reſp. Proprius eſt ſacerdos; & in caſu neceſſitatis quilibet, ſeruando ritum Eccleſiæ, poteſt baptizare; quod tamen à digniori perſona præſenti eccleſiaſtica; vel his abſentibus, ab homine quouis, ſi adſit; vel fœmina, maſculis abſentibus, fieri debet.

Inter. Ad quid tenetur patrinus, & quot patrini poſſunt aſſumi?

Reſp. Ex Concilio Tridentino, vnus tantùm, vel vnus, & vna; qui tenentur baptizatum inſtruere in rudimentis fidei, & bonis moribus, ſi hoc ab alijs non viderint fieri.

Inter. Quid operatur leuatio pueri de fonte baptiſmatis?

Reſp. Inducit cognationem ſpiritualem inter baptizatum, & baptizantem; & Patrinum, & Patrem, & Matrem baptizati. Ità quod inter illos non poteſt contrahi matrimonium.

Inter. Quæ præcedunt Baptiſmum?

Reſp. Catechiſmus. & exorciſmus, & ideò ſi puer fuit domi baptizatus, cùm defertur ad Eccleſiam, non debent hæc ommitti.

Inter. De quibus inſtruendus eſt populus, vt in caſu neceſſitatis ritè poſſit baptizare?

Reſp. Tradenda eſt eius forma, vt ſupra; infundendo aquam, vel immergendo puerum ter, proferant hæc verba; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Inter.

Inter. Qui ſunt effectus Baptiſmi?

Reſp. Primò tolluntur omnia peccata, & omnis pœna peccati. Secundò, infunditur non ſolùm gratia, ſed omnes virtutes. Tertiò, in primitur character. Quartò, aperitur regnum cęlorum; & hęc omnia, dummodò quis non accedat fictè; attamen recedente fictione conſequuntur effectus Baptiſmi.

Inter. Quibus denegatur Baptiſmus?

Reſp. Adultis exiſtentibus in peccato mortali, vel in propoſito peccati mortalis; licèt enim non teneantur confiteri, nec ſint pro eis iniungendæ pœnitentiæ, debent tamen dolere de prę teritis, & habere propoſitum abſtinendi de futuris. Similiter non ſunt baptizandi pueri paruuli infidelium, & Iudęorum, inuitis parentibus; nec ſunt baptizandi pueri in materno vtero adhuc exiſtentes, qui tamen ſi caput emiſerint, & inſtet periculum, poſſunt baptizari, & non ſunt rebaptizandi: quòd ſi aliam partem emiſerint, poſſunt baptizari, ſed poſteà ſi perfectè naſcantur, iterum ſunt baptizandi ſub conditione. Furioſi, & amentes à natiuitate ſunt baptizandi ſicut pueri; quòd ſi non ſunt à natiuitate, debent baptizari, quando habent dilucida interualla, vel etiam dum ſunt furioſi, dummodò antè petierint, vel habuerint deſiderium baptiſmi.

DE

DE SACRAMENTO.
Confirmationis.

INter. Quid eſt confirmatio?
Reſ. Eſt ſacramentum, quo homo quaſi quandam perfectam vitæ, ætatem, & robur ſuſcipit.
Int. Quæ eſt materia huius ſacramenti?
Reſ. Eſt oleum balſamo permixtum, ab Epiſcopo conſecratum.
Int. Quæ eſt forma huius ſacramenti?
Reſp. Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.
Int. Quis eſt miniſter huius ſacramenti?
Reſp. *Solus Epiſcopus.*
Int. Quibus eſt conferendum hoc ſacramentum?
Reſp. Omnibus baptizatis, & poteſt conferri omni ætatis tempore. *maximè tamen conuenit ad ſeptennium ſaltem vſq; differri. Cath. Rom.*
Int. Nunquid non baptizatus poteſt confirmari?
Reſp. Non: nam character confirmationis præſupponit characterem baptiſmalem; imò nihil recipit, & poſt baptiſmum eſſet iterum confirmandus.
Int. Quis eſt effectus huius Sacramenti?
Reſp. Gratia gratum faciens, & confirmans, & character.
Int. Quare hoc ſacramentum confertur in fronte?

Reſp.

Reſp. Vt in manifeſto ſe oſtendāt Chriſtianos eſſe, & nè nomen Chriſti ob timorem, vel erubeſcentiam omittant confiteri.

Inter. Per hoc Sacramentum, inter quos contrahitur ſpiritualis cognatio impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum?

Reſp. Inter confirmantem, & confirmatum, illiusq́; Patrem, & Matrem, ac tenentem.

DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.

INter. quid eſt Euchariſtia?

Reſp. Eſt Sacramentum, in quo continetur verè, realiter corpus, & ſanguis vnà cum anima, & diuinitate D.N.I.C.

Inter. Quæ eſt materia conueniens huius ſacramenti.

Reſp. Panis triticeus, & azymus (eſſet tamen Sacramentum, ſi eſſet fermentatus, licet peccàrent Latini ſic facientes) & vinum modica aqua permixtum, aqua tamen non eſt de neceſſitate Sacramenti.

Inter. Quæ eſt forma huius Sacramenti?

Reſp. Forma conſecrationis panis eſt iſta: Hoc eſt enim corpus meum: licèt illud, enim, omiſſum non impediat perfectionem ſacramenti.

Forma conſecrationis vini eſt illa; Hic eſt enim

calix

Digitized by Google

calix ſanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Interrog. Quando inſtituit Chriſtus hoc Sacramentum?

Reſp. In vltima cœna.

Inter. Quis eſt miniſter huius ſacramenti?

Reſp. Solus Sacerdos.

Inter. Quæ præparatio requiritur ad dignè percipiendum hoc ſacramentum?

Reſp Ex Concilio Tridentino, ſic habetur. Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem eſſe neceſſariam, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus; etiam ab ijs ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit; modò non deſit illis copia confeſſoris: quod ſi neceſſitate vrgente ſacerdos abſq; præuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur

Inter. Quot modis ſumitur hoc ſacramentum?

Reſp. Tribus. Quidam ſumunt ſolùm ſacramentaliter, vt peccatores; Quidam ſpiritualiter tantum, qui voto, & propoſito illum panem cęleſtem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem ſentiunt: Qui

Quidam ſacramentaliter & ſpiritualiter, & hi ſunt, qui purgata prius conſcientia ad communionem accedunt.

Inter. Quæ impediunt perceptionem huius ſacramenti.

Reſp. Peccatum mortale, & pollutio nocturna, quæ præceſſit, vel cauſauit peccatum mortale, & actualis defectus rationis, vel diſcretionis : in articulo tamen mortis eſſent communicandi, ſi antequàm vſum rationis amitterent, illud deſiderauerunt, dummodò non ſit periculum vomitus; expuitionis, vel huiuſmodi.

Inter. Quomodo agnoſcuntur pueri habere diſcretionem?

Reſp. Non tantùm reſpici debet numerus annorum, ſed an ſciant diſcernere inter panem ſacramentalem, & materialem; an oſtendant deſiderium, & ſignum deuotionis erga hoc ſacramentum.

Inter. Qui ſunt effectus huius ſacramenti?

Reſp. Conuerſio panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Chriſti: Ita quòd totus Chriſtus ſub qualibet ſpecie continetur, & in qualibet parte. Coniunctio hominis ad Chriſtum; remiſſio peccati mortalis obliti, ſi tamen adhibita fuit debita diligentia: Remiſſio peccati venialis: & vt eſt ſacrificium remittit pœnas peccatorum, & prodeſt non ſolùm ſumentibus

bus; ſed & ijs, pro quibus offertur dummodò ſint in gratia, tam viuis, quàm defunctis.

DE SACRAMENTO *Extremæ vnctionis.*

INter. Quid eſt extrema vnctio?

Reſp. Eſt Sacramentum, cuius materia eſt oleum in hunc vſum conſecratum, ſub præſcripta forma verborum, conferens infirmo remedium contra peccati reliquias, & ſi expedierit, etiam alleuationem infirmitatis corporalis.

Int. A quo fuit inſtitutum?

Reſp. A Chriſto, ſicut & cætera ſacramenta, ab Apoſtolis autem, præſertim à Iacobo, fuit promulgatum.

Int. quæ eſt materia huius ſacramenti?

Reſponſ. Oleum oliuæ, ab Epiſcopo conſecratum.

Inter. Quæ eſt forma?

Reſp. Per iſtam ſanctam vnctionem, & pijſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum, &c.

Inter. Quis eſt miniſter huius ſacramenti?

Reſp. Proprius Parochus, vnde nec Diaconus, nunc Laycus poteſt hoc ſacramentum conferre Alius tamen ſacerdos ſub ſpe ratihabitionis poteſt conferrè, vel ex licentia parochi; religio-

ſus

ſus verò conferens hoc ſacramentum abſque licentia parochi expreſſa, excommunicationi Papali ſubiacebit.

Interr. Quibus eſt conferendum hoc ſacramentum?

Reſp. Non debet dari niſi adultis, & infirmis in articulo mortis conſtitutus, dummodò articulus mortis ſit ex infirmitate; ideò non datur occidendis, vel euntibus ad bellum: licèt decrepitis, qui præ ſenectute deficiunt ſine actuali infirmitate; & etiam phreneticis, & amentibus, ſi petierint, aliàs non; & maximè quando crederetur, quòd irreuerentiam exhiberent huic ſacramento, etiam quòd petierint, vel petant; debet etiam dari illis, qui ex infirmitate amiſerunt iam vſum rationis, quamuìs actualiter non petierint, dummodò ſint tales perſonæ, de quibus conſtat, quòd bene vixerint, & quòd ſi haberent tum vſum rationis peterent; Debet etiam dari illi, de quibus dubitatur, an ſint mortui, tamen ſub conditione ſi ſunt viui, ſed ſi moriantur ante completionem vnctionis, non eſt vlteriùs procedendum. Poteſt etiam iterum dari in eadem infirmitate, ſi infirmus ſit in periculo mortis, & poſtmodum releuaretur, & poſt aliquot dies iterum ſit in articulo mortis, iterum poteſt vngi, maximè quando infirmitas eſt diuturna, vt paralyſis, & febris hectica.

Inter.

Inter. Vbi ſit vnctio?

Reſp. In quinque ſenſibus, quia ſunt radices peccandi; videlicet oculis, auribus, labijs, manibus, pedibus, & quibuſdam etiam in renibus; tamen communiter ſeruandus eſt ritus libri ſacramentalium.

Inter. Qui ſunt effectus huius ſacramenti?

Reſp. Ex Concil. Trident. tollit peccata, ſi quæ adhuc ſunt expianda; Reliquias peccati abſtergit; Animam ægroti alleuiat, & confirmat magnam in eo diuinæ miſericordiæ excitando fiduciam, qua infirmus ſubleuatur, & morbi incommoda, ac labores leuiùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit; Sanitatem corporis, ſi expedierit, confert infirmo.

Inter. Quomodò agendum eſt cum infirmo, qui proximus ſit morti?

Reſp. Danda eſt illi extrema vnctio, commendatio animæ: Exhortandus eſt, vt in fide perſeueret: Paſſio Chriſti in memoriam reducenda, ne deſperet pro peccatis commiſſis: ſuadeatur propoſitum melioris vitæ, proteſtationes faciat, ſe tenere fidem catholicam.

Interrog. Qui debent carere Eccleſiaſtica ſepultura?

Reſp. Dico, vt ſupra notatum eſt cap. de interdicto. fol. 30.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTO Ordinis.

INter. Quid eſt ordo?
Reſp. Eſt ſignaculum quoddam exterius, per quod ſpiritualis poteſtas confertur ordinato.
Inter. Quæ eſt materia huius ſacramenti?
Reſp. Inſtrumentum, quod tangendum porrigit Epiſcopus ordinando.
Inter. Quę eſt forma?
Reſp. Verba, quæ profert Epiſcopus porrigendo inſtrumentum.
Inter. Quis eſt miniſter huius ſacramenti?
Reſp. Epiſcopus.
Inter. Quis eſt effectus huius ſacramenti?
Reſp. Augumentum gratiæ, ad dignè adminiſtrandum ordinem ſuſceptum, Spiritus Sanctus, & character.
Inter. Quando imprimitur character?
Reſp. Quando tangitur inſtrumentum, porrectum ab Epiſcopo proferente verba.
Inter. Qua intentione ſuſcipiendi ſunt ordines?
Reſp. Non quæſtus, aut lucri cauſa, non honorum cupiditate, & ambitione, non beneficiorum cauſa; ſed, vt alicui certo Eccleſiæ miniſterio addicti in ſanctitate, & iuſtitia Deo ſeruiant.
Int. Quæ poteſtas cõfertur per ſacramentũ ordinis?
Reſp. Duplex, poteſtas ſuper corpus Chriſti verum

O idest

ideſt non ſolùm conſecrandi Euchariſtiam, verum etiam ad eam accipiendam hominum animos præparandi; & complectendi cætera omnia, quæ ad Euchariſtiam quouiſmodo referri poſſunt. Altera poteſtas eſt ſuper corpus Chriſti myſticum, ideſt gubernandi populum Chriſtianum, ad æternam cęleſtemque beatitudinem dirigendo; ligando, & ſoluendo à peccatis; vnde prima dicitur poteſtas ordinis, altera verò iuriſdictionis.

Inter. Debétne laycus, proponens ſuſcipere hoc ſacramentum, tranſire immediate à ſtatu laycali ad miniſterium Eccleſiaſticum?

Reſp. Non, ſed prius conferenda eſt illi prima tonſura.

Inter. Quid eſt prima tonſura?

Reſp. Eſt præparatio, ſiue diſpoſitio, & aditio ad ſacros ordines ſuſcipiendos.

Inter. Quare qui primam tonſuram ſuſceperunt, clerici vocantur?

Reſp. Quia in ſortem, & hæreditatem Domini vocati ſunt, vel quia Dominus ſors, & hæreditas illorum eſſe debet: Clericos enim, à quo deriuatur Clericus, ſortem, ſeu hæreditatem ſignificat.

Inter. Quæ differentia eſt inter ſtatum clericorum, & ſtatum laycorum?

Reſp. Primò, Clericus ſolùm cultui diuino ſe totum addicit, non implicans ſe negocijs ſæcu-

laribus,

Digitized by Google

laribus, quorum adminiſtratio ad laycos pertinet. Secundò, quò ad forum; Clerici enim Eccleſiaſtico, layci verò ſęculari iudicio ſubditi ſunt. Tertiò, maioribus priuilegijs decoratur ſtatus clericorum, quàm laycorum, præſertim immunitatibus.

Inter. Quod eſt officium clerici?

Reſp. Choro intereſſe, vbi non habet ſpeciale officium, ſed commune pſallendi cum cęteris.

Inter. Cur tondentur, qui clerici fieri volunt?

Reſp. Tonſura, quæ fit in parte ſuperiori, ſignificat, mentem Clericorum debere eſſe liberam ad contemplationem diuinorum. Quæ fit ſuper aures, ſignificat, vt præcidant vitia cordis, & operis, ne impediantur ab audiendo, & intelligendo verbum Dei. Quæ verò fit in poſteriori parte, ſignificat, ſenſus Clericorum non debere eſſe implicatos in rebus terrenis, quæ per capillos deſignantur.

Inter. Quare tonſura fit per modum coronæ?

Reſp. Corona ſignificat regiam dignitatem, quam habent, qui ſe, & alios per virtutes gubernare debent. Secundò Coronæ figura circundans, ſignificat perfectionem, ad quam tendere debent, qui ſe Deo dedicarunt.

Inter. Quare ſuper pelliceo induuntur?

R. Quia denotat puritatem, & innocentiam, cui inſeruire debent deputati cultui diuino, iuxta illud pſalmi, innocentes & recti adhęſerunt mihi.

Inter. Qua ſcientia præditus eſſe debet, qui primam tonſuram ſuſcipere vult?

Reſp. Ex Concilio Trident. debet ſcire legere, & ſcribere, & rudimenta fidei, quæ quilibet Chriſtianus ſcire tenetur.

Inter. Quæ ſunt illa, quæ quilibet Chriſtianus ſcire tenetur.

Reſp. Signum Crucis, orationem Dominicam, articulos fidei, ſeptem ſacramenta, ſeptem opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia, præcepta Eccleſiæ.

Inter. Quibus non eſt conferenda prima tonſura?

Reſp. ijs, qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit eos non ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Inter. Quæ ętas requiritur in ſuſcipiente primam tonſuram?

Reſp. Septem annorum completorum.

Inter. Prima tonſura eſt ne ordo?

Reſp. Non, ſed diſpoſitio ad ordines, ſicut nouiciatus in religione ad profeſſionem.

Inter. Qui ſunt repellendi à ſuſceptione ordinum?

Reſp. Quicunque in aliquam irregularitatem inciderunt.

Inter. Quid eſt irregularitas.

Reſp.

Reſp. Nihil aliud eſt, niſi quædam macula, ſeu impedimentum, per quod quis repellitur ab ordinum ſuſceptione.

Inter. Qui ergo ſunt irregulares?

Reſp. Illiterati, illegitimi, ſpurij, infames, corpore notabiliter vitiati, bigami, ideſt qui duas habuerunt vxores, vel qui cognouit corruptam ab alio, Hæretici, Apoſtatæ, Serui, Pueri, Furioſi, Amentes, Excommunicati, Celebrantes in loco interdicto, Celebrantes cùm ſint ſuſpenſi, exercentes actum ordinis, quem non habent, Promoti per ſaltum, ideſt ſuſcipientes ordinem ſuperiorem ante ſuſceptionem inferioris; Ordinati ab Epiſcopo notoriè denunciato excommunicato, ſchyſmatico, hæretico, depoſito, ſuſpenſo interdicto, degradato, vel qui renunciauit loco, & dignitati. Ordinati ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprij, ſunt ſuſpenſi, quamdiù Epiſcopo proprio videbitur. Suſcipientes eadem die quattuor minores cum vno ex maioribus, vel duos maiores ſimul, iterantes ſcienter ſacramenta imprimentia characterem, infideles, procurantes aborſum, vel ad id adiuuantes, dummodo fœtus ſit animatus, ſuffocantes infantem in lectulo, Homicidæ, Mutilantes ſibi, vel alteri membrum, ſiue hoc fiat ex ira, vindicta, iuſtitia, ſiue caſu, vel dum datur opera rei illicitæ, cooperantes homicidio, mutilationi, vel ac-

celerationi mortis.

Interrogationes. Quomodo tollitur irregularitas?

Reſpon. tribus modis: Primò per Baptiſmum, qui tollit omnem irregularitatem, excepta bigamia, & illegitimatione. Secundò, per profeſſionem, quæ tollit omnes, quæ non ſunt ex propria culpa, & alijs præbet maiorem facilitatem ad diſpenſandum. Tertiò, per diſpenſationem Papæ, qui omnes tollere poteſt; vel per diſpenſationem Epiſcopi, qui in aliquibus poteſt diſpenſare: & ex Concilio Tridentino Epiſcopi diſpenſare poſſunt in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, & excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſim ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ, gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari, idem & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs, permiſſum eſt.

Inter. Quot ſunt ordines?

Re. Septem, quattuor minores; ſcilicet oſtiarius, lector, exorciſta, & acolitus; & tres maiores, ſcilicet ſubdiaconus, diaconus, & presbyter.

Inter.

Digitized by Google

Interrog. Quæ differentia eſt inter minores, & maiores.

Reſp. Multiplex: Primò maiores habent annexum votum caſtitatis, & impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum, minores autem non. Secundò, maioribus initiati poſſunt tangere ſacra vaſa, non autem minoribus initiati. Tertiò, minores poſſunt ſuſcipi quolibet die feſto, & omnes quattuor eadem die: maiores verò niſi adſit diſpenſatio Papæ, non poſſunt ſuſcipi, niſi ſex temporibus à iure ſtatutis, ſcilicet quattuor temporibus anni, & ſabbato quadrageſimæ, quod dicitur Sitientes, & Sabbato Sancto.

DE OSTIARIIS.

INter. Quod eſt officium oſtiariorum?

R. Aperire & claudere Ianuas Eccleſiæ; Cuſtodire, quæ ibi clauduntur: Excludere infideles, & indignos, ſcilicet publicè excommunicatos, & notorios percuſſores clericorum; & admittere fideles.

Inter. Cur hoc officium committitur habentibus ordinem, cùm per ſimplices laycos etiam ſæpe exerceatur?

Reſp. Oſtiarij hoc ex officio proprio agunt, layci verò, & ſi ſæpe exerceant ea, quæ pertinent

Digitized by Google

ad minores ordines; non tamen hoc agunt ex officio.

Inter. Quibus ceremonijs ordinatur Oſtiarius? & quando imprimitur character huius ordinis?

Reſp. Per traditionem clauium (ſunt enim claues materia, & inſtrumentum huius ordinis) ab Epiſcopo hanc formam verborum proferente; ſic agite tanquam rationem Deo reddituri pro rebus, quæ clauibus iſtis recluduntur. Et tunc in ordinato imprimitur character.

Inter. Quæ ſcientia requiritur in ſuſcipiente quattuor minores?

Reſp. Ex Concil. Trident. ſaltem Latinam linguam intelligant: & vltra hanc ſcientiam, habere debent teſtimonium ſuæ bonitatis à Parocho, & Magiſtro ſcholæ.

Inter. Cuius ætatis eſſe debent?

Reſp. Promouendi ad tres primos minores ſaltem debent compleſſe 7. annos, ad Acolytatum verò duodecim.

DE LECTORIBVS.

INter. Quod eſt officium Lectoris?

Reſp. Legere intelligibiliter, & diſtinctè Prophetias in Eccleſia.

Inter. Quibus ceremonijs confertur iſte ordo? & quando imprimitur character?

R. Per traditionem libri Prophetiarum (eſt.n.inſtrumen-

Digitized by Google

ſtrumentum, & materia huius ordinis liber prophetiarum) ab Epiſcopo proferente hanc formam verborum : Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter impleueris officium, partem cum his, qui verbum Dei bene miniſtrauerunt : & tunc imprimitur character.

DE EXORCISTA.

INter. Quod eſt officium exorciſtæ ?

Reſp. Adiurare, ſiue coniurare dæmones, eos expellendo ab hominibus obſeſſis : Exorciſta enim Latinè ſignificat Adiurator, ſiue coniurator; ab exorcizo verbo, quod ſignificat Adiuro, ſiue coniuro.

Inter. Quibus ceremonijs confertur iſte ordo, & quando imprimitur character?

Reſp. Per traditionem libri exorciſmorum (eſt.n. inſtrumentum, & materia huius ordinis liber exorciſmorum) ab Epiſcopo, proferente hanc verborum formam : Accipite, & habete poteſtatem ponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos : & tunc imprimitur character.

DE ACOLYTIS.

INter. Quod eſt officium acolyti ?

R. Accendere luminaria in Eccleſia, & præire cum

cum illis miniſtros altaris, præparare vinum & aquam in vrceolis, aſtare ſacerdoti celebranti.

Inter. Quibus ceremonijs confertur iſte ordo?

Reſp. Per traditionem candelabri cum candela, & vrceoli ab Epiſ. ſiue eius iuſſu, ab Archidiac.

Inter. Quando imprimitur character?

Reſp. In traditione vrceoli, proferente Epiſcopo; Accipe vrceolum ad offerendum vinum & aquam pro Euchariſtia.

Inter. Quando traduntur diuerſa inſtrumenta ab Epiſcopo ei, qui eſt ordinandus, quod eſt inſtrumentum, & materia illius ordinis, per cuius traditionem cum prolatione formæ imprimitur character?

Reſp. Eſt illud inſtrumentum, quod magis directè deſeruit conſecrationi Euchariſt. Ideò vrceolus eſt materia, & inſtrumentum Acolyti.

DE SVBDIACONIS.

INter. Quod eſt officium Subdiaconi?

Reſp. Legere Epiſtolam in Eccleſia, ideò ab Epiſcopo traditur ei liber Epiſtolarum: & miniſtrare diacono neceſſaria Sacrificio miſſæ.

Inter. Quibus ceremonijs confertur iſte ordo, & quando imprimitur character?

Reſp. Per traditionem calicis vacui cum patena (hoc eſt enim inſtrumentum, & materia huius ordinis) ab Epiſcopo proferente formam verborum, & tunc imprimitur character.

DE

Digitized by Google

DE DIACONIS.

INter. Quod eſt officium Diaconi?

Reſp. Legere Euangelium, miniſtrare ſacerdoti celebranti, concionari, ſi ei imponatur à ſacerdote, ferre Eucharistiam in Vaſe Sacro, non tamen tangere, licèt in caſu neceſſitatis iubente Epiſcopo, aut ſacerdote poſſet miniſtrare Euchariſtiam: & vbi eſt conſuetudo communicandi ſub vtraq; ſpecie, miniſtrare ſanguinem cum calice.

Inter. Quibus ceremonijs confertur iſte ordo, & quando imprimitur character?

Reſp. Per traditionem libri Euangeliorum (qui eſt materia & inſtrumentum huius ordinis) ab Epiſcopo dicente: Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Sancta Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis, & tunc imprimitur character.

DE PRAESBYTERIS

INter. Quod eſt officium presbyteri?

R. Offerre ſacrificium tam pro viuis, quã pro defunctis; conſecrare, ligare & abſoluere à peccatis. Ideò dicitur habere duplicem poteſtatem, ideſt ſuper corpus Chriſti verum, conſecrando illud; & ſuper corpus Chriſti myſticum, .i. ſupra fideles, ligando, & ſoluendo illos à peccatis.

Inter.

Digitized by Google

Inter. Ergo quilibet poſtquàm factus eſt ſacerdos poteſt abſoluere à peccatis?

Reſp. Non, ſed requiritur (Poſtquam habuit poteſtatem ſibi collatam in ordinatione ab Epiſcopo, dicente; accipe poteſtatem ſoluendi, & ligandi, vel ſimilia verba) quòd habeat iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam ſupra pœnitentes.

Inter. Quibus ceremonijs confertur iſte ordo, & quando imprimitur character?

Reſp. Per traditionem calicis, & patenæ præparati cum pane, & vino (hoc eſt enim inſtrumentum, & materia huius ordinis) ab Epiſcopo proferente verborum formam: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, tam pro viuis, quàm pro defun. & tunc imprimitur character.

Inter. Quæ ſcientia requiritur in promouendo ad presbyteratum?

Reſp. Ex Concilio Tridentino, vt ſit aptus ad docendum populum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & quę pertinent circa adminiſtrationem ſacramentorum.

SCITV NECESSARIA omnibus Chriſtianis.

INter. Quot ſunt articuli fidei?

R. Duodecim, qui cõtinentur in Symbolo Apoſtolorum, ſcilicet, Credo in Deum patrem, &c.

Inter.

Inter. Quot ſunt præcepta Dei?

Reſp. Decem. Vnum cole Deum, Nec iures vana per ipſum, Sabbatha ſanctifices, Habeas in honore parentes, Non ſis occiſor, Fur, Mechus, Teſtis iniquus: Alterius nuptam, Nec rem cupies alienam,

Inter. Quæ differentia eſt inter hæc præcepta?

Reſp. Tria prima ordinant nos ad Deum, ſeptem verò reliqua ordinant nos ad proximum; Prętereà, quædam ſunt affirmatiua, quædam negatiua.

Inter. Quę differentia eſt inter pręcepta affirmatiua, & negatiua?

Reſp. Præcepta affirmatiua obligant nos ſemper, ſed non ad ſemper, ideſt non omni tempore, ſed determinato; Negatiua autem, obligant & ſemper, & ad ſemper, ideſt omni tempore, ita quòd nunquam licet illis contrafacere.

Inter. Quomodo peccatur contra vnum quodque præceptum?

Reſp. Contra Primum peccatur per hæreſim, blaſphemiam, ſuperſtitionem, vanam obſeruationem ſomniorum, incantationes, ſortilegia, breuia, ſuperbiam, accidiam, & ſimilia.

Contra ſecundum peccatur, per vanam, & turpem aſſumptionem Diuini nominis, & tranſgreſſionem votorum, ac promiſſionum.

Contra Tertium, per amiſſionem Miſſæ in die feſto, laborando, & exercendo opera ſeruilia:

Facien-

faciendo mercatum, litigando ciuiliter, iudicando ad pœnam vel mortem, præſtando iuramentum iudiciale, niſi fiat pro pace, aut alia vrgenti neceſſitate; & omittendo ieiunia.

Contra Quartum; ſpernendo per irreuerentiam, aut inobedientiam quoſcunque ſuperiores, ſiue temporales, ſiue ſpirituales: Contrafaciendo legibus, edictis, & ſtatutis; Non ſuccurrendo parentibus in eorum neceſſitatibus.

Contra Quintum peccatur, per hominis occiſionem, mutilationem, iniuſtam verberationem odium, inuidiam, &c.

Contra Sextum, per quamcunque iniuſtam acceptionem; furtum, vſuram, rapinam, luſum; iniuſtam exactionem, & participationem in prædictis quocunque modo, vt iubendo, conſulendo &c. non ſolùm rerum temporalium, ſed etiam honoris, & famæ.

Contra Septimum peccatur, per fornicationem, adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, inceſtum, mollitiem, tactus, oſcula, & aſpectus turpes, ac colloquia praua, & per quemcunque alium actum carnalem, ſiue luxuriam.

Contra Octauum peccatur, per falſum teſtimonium, murmurationem, detractionem, ſuſurationem, falſam doctrinam, & conſilium.

Contra Nonum peccatur, per quodcunque inhoneſtum deſiderium.

Contra Decimum peccatur, per auaritiam, &

quod-

quodcunq; deſiderium damni proximi, tam fortunæ, quàm corporis, famæ, & animæ.

Inter. Quot ſunt præcepta legis naturæ?

Reſpon. Duo: Quod tibi vis fieri, tu ipſe alijs facito: & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Inter. Quot ſunt præcepta Eccleſiæ?

Reſp. Quinque: Seruare ieiunia, Audire miſſam in die feſto; communicare, & confiteri ſemel in anno tempore Paſchæ; & non contrahere matrimonium temporibus prohibitis ab Eccleſia.

Inter. Quot ſunt vitia, ſiue peccata mortalia, & virtutes oppoſitæ?

Reſp. Septem.

Superbia. Oppoſitum.	Humilitas.
Auaritia.	Liberalitas.
Luxuria.	Caſtitas.
Inuidia.	Charitas.
Gula.	Sobrietas.
Ira.	Manſuetudo.
Accidia.	Solicitudo.

Dicuntur capitalia, quia ex ipſis oriuntur alia vitia, non autem quòd ſemper peccet mortaliter, qui in illa labitur; imò eſt difficillimum iudicare, quando peccatur mortaliter excepta luxuria.

Inter. Quot ſunt virtutes Theologicæ.

Reſp. Tres, Fides, Spes, Charitas: & dicuntur Theologicæ, quia habent Deum pro fine.

Inter.

Digitized by Google

Inter. Quot ſunt virtutes Cardinales?

Reſp. Quatuor; Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia.

Inter. Quot ſunt dona Spiritus ſancti?

Reſp. Septem, Sapientia, Intellectus, Conſilium, Scientia, Fortitudo, Pietas, & Timor Domini.

Inter. Quot ſunt peccata in Spiritum Sanctum?

Reſp. Sex; Præſumptio de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati, Deſperatio, Impugnatio veritatis agnitæ, Inuidentia fraternæ gratiæ; Obſtinatio, Finalis impœnitentia.

Inter. Quot ſunt opera miſericordię, tàm corporalia, quàm ſpiritualia?

Reſp. Septem corporalia ſunt, paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, hoſpitari peregrinos, viſitare, infirmos, redimere in carcere poſitos, & ſepelire mortuos. Septem quoque ſunt ſpiritualia, conſulere dubitanti, docere ignorantem, corrigere errantem, conſolari afflictum, parcere offendenti, ferre iniurias, orare pro omnibus.

Inter. Quot modis participatur in peccato alieno?

Reſp. nouem, his verſibus contentis.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Lauſq; Recurſus.
Participans, Mutus non obſtãs, non Manifeſtãs.

Inter. Quot ſunt potentiæ animæ?

Reſp. Tres; Intellectus, Memoria, Voluntas.

Inter. Quot ſunt ſenſus corporis?

Reſp. Quinq;, Viſus, auditus, odoratus, guſtus, &

Digitized by Google

DE SACRAMENTO Matrimonij.

INter. Quid eſt Matrimonium?
Reſp. Eſt legitima maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.
Inter. Quot ſunt impedimenta, quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum?
Reſp. Duodecim, his verſibus contenta.
Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas.
Si ſis Affinis, vel ſi coire nequibis.
Error enim eſt, putanti ducere vnam perſonam, ſi datur alia, Conditio, ideſt, putanti ducere liberam, & datur ſerua: ſecùs eſt, ſi deformis, vel pauper, hæ enim conditiones non obſtant. Votũ, ideſt votum ſolemne: & eſt illud; quod emittitur per profeſſionem, vel ſuſceptionem ordinis ſacri. Cognatio, quæ eſt triplex ſpiritualis, quæ contrahitur ex baptiſmo, & confirmatione, & ex Concilio Tridentino ſolum habet locum inter baptizantem, & baptizatum, illiúsque Patrem & Matrem, ac tenentem. Similiter dic de cognatione legali, quæ contrahitur per adoptionem alicuius in filium, ſeu in filiam. Naturalis, quæ impedit matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè in-

ter conſanguineos, & conſanguineas, Crimen, ꝙ eſt quadruplex, primum eſt homicidium procuratum ab altero coniugum: tunc.n. inter homicidam, & coniugem remanentem non poteſt eſſe matrimonium. Secundum eſt homicidium mixtum adulterio. Tertium eſt adulterium, cum promiſſione ducendi adulterantem poſt mortem coniugis. Quartum eſt adulterium mixtum contractui ſecundi Matrimonij per verba de præſenti, ſtante adhuc primo matrimonio. Diſparitas cultus, ideſt, inter baptizatum & infidelem non poteſt eſſe matrimonium.

Vis, ideſt violentia cauſans timorem vel mortis, vel ſtupri, vel verberum. Ordo, ideſt, ſubdiaconatus, diaconatus, & presbiteratus. Ligamen, ideſt, qui iam contraxit cum vna per verba de præſenti, non poteſt contrahere cum alia; & licèt conſummauerit ſecundum matrimonium & non primum, tenet tamen primum. Honeſtas; ideſt perſonæ, quæ ſunt conſanguineæ in primo gradu, non poſſunt contrahere matrimonium cum illa, cum qua aliquis eius conſanguineus contraxit ſponſalia. Affinitas, ideſt, parentela, quæ contrahitur ex carnali copula fornicationis, impedit matrimonium primo, & ſecundo gradu. Si coire nequibis; ideſt impotentia coeundi, ſiue ex natura, ſiue ex maleficio perpetuo: quod quidem impedimentum confeſſor debet remittere ad prælatos Eccleſiæ.

Digitized by Google

cleſiæ. Ex Concilio Tridentino additum fuit aliud, ſcilicet matrimonium clandeſtinè contractum, quod pariter non tenet.

Int. Quæ ſiunt ſolemnitates, adhoc, vt matrimonium non dicatur clandeſtinè contractum?

Reſp. Debent fieri tres denunciationes à parocho in Eccleſia parochiali, tribus diebus feſtiuis continuis. Secundò, ſi nullum opponatur impedimentum, procedatur in facie Eccleſiæ, vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, dicat ſimilia verba: ego vos coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Tertiò, antequàm contrahant, ſaltem tribus diebus, confiteantur peccata ſua & communicent. Si verò hæc omittantur, peccatur, niſi diſpenſet Epiſcopus: eſt tamen matrimonium, dummodo interſit parochus, cum duobus vel tribus teſtibus: ſi ſecus fiat non tenet.

Int. Quæ ſunt tempora, quibus prohibentur ſolemnitates nuptiarum?

Reſp. Ex Concil. Trid. ab Aduentu Domini vſq; in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum, vſque in octauam paſchatis, incluſiuè.

Int. Quæ, & quot ſunt impedimenta, quæ impediunt matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum.

Reſp. Duodecim, his verbis contenta.

Inceſtus, Votum ſimplex, Sponſalia, Tempus.

Alterius ſponſæ raptus,nec non Catechiſmus.
Infantem propriū ad fontē, vel Chriſma dolosè.
Portans, presbyteri, aut vxoris cęde cruentus.
Pœnituit publicè, vel ſubiacet interdicto.
Coniugióq; ſciens ſacra cum virgine vinctus.
Coniugio abſtineat,niſi ſit iam fortè ligatus.

In iſtis caſibus qui vult contrahere matrimonium, petat diſpenſationem ab Epiſcopo: ſi verò iam contraxit, tenet matrimonium; ſed petat diſpenſationem petendi debitum.

INTERROGATIONES PRO ADmittendis ad audiendas confeſsiones.

INter. Quid eſt pœnitentia?

Reſp. Eſt ſacramentum remittendi peccata, poſt baptiſmum commiſſa.

Int. Quot ſunt partes pœnitentiæ?

Reſp. Tres,contritio,confeſſio, & ſatisfactio.

Int. Quid eſt contritio?

Reſp. Eſt dolor perfectus, pro peccatis voluntarie aſſumptus,cum propoſito confitendi, ſatisfaciendi, & abſtinendi de futuro.

Inter. Quæ differentia eſt inter contritionem, & attritionem?

Reſp. Contritio eſt dolor perfectus, per quem nobis diſplicet peccatum ſupra omne odibile, cum propoſito vitandi ſupra omne vitabile: Attritio verò eſt dolor imperfectus,

Inter.

Digitized by Google

Int. Quot ſunt conditiones contritionis?

Reſp. Duæ, dolor de præteritis, & propoſitum cōfitendi, ſatisfaciendi, & abſtinendi de futuro.

Int. Nunquid cuilibet dicenti, ſe dolere de peccatis, eſt impendendum beneficium abſolutionis?

Reſp. Eſt, dummodò adſit non ſolùm aliqualis dolor de præteritis, ſed etiam propoſitum ſatisfaciendi, & abſtinendi de futuro.

DE CONFESSIONE.

INter. Quid eſt confeſſio?

Reſp. Eſt integra peccatorum cum ſuis circunſtantijs manifeſtatio coram legitimo ſacerdote, cum ſpe veniæ.

Int. Quot ſunt conditiones confeſſionis?

Reſp. Sexdecim, his verbis contentæ.

Sit ſimplex, humilis, confeſſio, pura, fidelis.
Atq; frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata;
Fortis, & accuſans & ſit parere parata.

Inter. Quid ſignificant iſtæ conditiones?

Reſp. Simplex, ideſt ſine duplicitate ac arte; Humilis, ideſt cum cognitione, ſubiectione, verbis humilibus, genibus flexis, & capite diſcoperto: Pura, ideſt ſine admixtione impertinentium, confitendo ſolum neceſſaria, recta intentione: Fidelis, i. ſine mendacio, dicendo certa pro certis, & dubia pro dubijs: Frequens, ideſt

ſemel in anno, & quoties conſcientia dictat eſſe vtile, & expedire, ad euitanda peccata, & in articulo neceſſitatis, vel periculi, ex quo ſolet ſequi mors; vt eſt bellum, nauigatio maritima, & quoties eſt dubium de habendo idoneum confeſſorem, vel qui poſſit abſoluere; & quoties vult communicare; ſi eſt ſibi conſcius peccati mortalis. Nuda, ideſt ſine inuolucris, excuſationibus, & obſcuritate verborũ. Diſcreta, ideſt eligendo idoneum confeſſorem vtendo verbis honeſtis dicendo peccata: Libens, ideſt non metu pœnæ diuinæ, vel Eccleſiaſticæ, aut infamiæ, nec reſpectu alicuius commodi temporalis; ſed vt reconcilietur cum Deo: Verecunda, ideſt ſine iactantia, erubeſcendo in ſemetipſo coram Deo, & confeſſore: Integra. i. tenetur confiteri omnia peccata mortalia, & quæ dubitat mortalia, & quæ dictat conſcientia eſſe confitenda; & circonſtantias aggrauantes peccatum in infinitum, vel mutantes ſpeciem peccati; & animum non confitendi, vel non abſtinendi, & oblita vel omiſſa in alijs confeſſionibus: Venialia autem non tenetur confiteri, vtile tamen, & pium eſt: Secreta ideſt coram ſolo Sacerdote, non per literas, nuncios, aut teſtes: Lacrymabilis, ideſt cum dolore cordis intrinſeco: Accelerata, ideſt poſt commiſſum peccatum, quantocyùs habere animum confitendi, & quoties inſtat neceſſitas

confi-

confitendi, id fiat celeriter: Fortis, ideſt ſuperans omnem timorem, & pudorem, retrahentem ab integra confeſſione omnium peccatorum: Accuſans, ideſt ſibi ipſi, & non alijs imputando, nec confitendo aliena peccata: Parere parata, ideſt paratus ad debitam ſatisfactionem, pro peccatis à confeſſore rationabiliter imponendam.

Inter. Iſtæ conditiones ſúntne omnes neceſſariæ abſolutè?

Reſp. Non, ſed ſolùm quinque, Integra, Verecunda, Doloroſa, Accuſans, & Secreta.

Int. Quot ſunt caſus, quibus confeſſio fit inualida, & eſt iteranda?

Reſp. Septem, ſecundũ tutiorẽ opinionem, quatuor ex parte confitentis, & tres ex parte confeſſoris.

Primus, ſi deſit omnino dolor de præteritis, vel animus abſtinendi, vel ſatisfaciendi.

Secundus, ſi confeſſio non fuit integra, vel ex malitia, aut verecundia, aut ex craſſa negligentia, vel ignorantia.

Tertius, ſi nõ peregit pęnitentiã, & eius eſt oblitus.

Quartus, ſi pœnitens exiſtens excommunicatus, priùs abſolutus fuit à peccatis quàm ab excommunicatione.

Quintus, ſi confeſſor noluit, ideſt nõ habuit voluntatem, & intentionem abſoluendi, vel pœnitens mutat confeſſorem, nondum percepta abſolutione à priore.

Sextus, ſi confeſſor neſciuit, ideſt fuit omnino ignorans, eiuúsque ignorantię non ſuppleuit ſcientia pęnitentis.

Septimus, ſi confeſſor non potuit, vel quia non erat ſacerdos, vel quia non habuit iuriſdictionem ſuper pœnitentem, vel erat publicè ſuſpenſus, excommunicatus, aut interdictus.

DE SATISFACTIONE.

INter. Quid eſt ſatisfactio?

Reſp. eſt delictorum compenſatio a delinquétis voluntate perfecta, arbitrio ſacerdotis, Dei vicem gerentis conſtituta; & à Chriſti paſſione meritum ſatisfactionis accipiens.

Inter. Quæ ſunt iniungenda pro ſatisfactione?

Reſp. Oratio, Eleemoſyna, tam corporalis, quam ſpiritualis, & Ieiunium; ſub quo continentur quæcunq; afflictiones corporales, vt peregrinationes, diſciplinæ, & huiuſmodi.

Int. Quę cōſiderāda ſunt in iniūgēda ſatisfactione?

Reſp. Primò, grauitas, qualitas, & quantitas peccatorum.

Secundò ſtatus peccatoris, an ſit ſui vel alieni iuris, nè iniungatur pœnit. in præiuditium tertij.

Tertiò diſpoſitio pœnitentis temporalis, corporalis, & ſpiritualis: Nam malè diſpoſito, vel bene contrito parua eſt iniungenda pœnitentia.

Quartò occaſio peccati, iniungendo talem pœnitentiam, per quam non ſolùm ſatisfaciat pro præte-

præteritis,ſed etiam afferatur remedium pro futuro: vt blaſphemanti propter ludum, iniungitur pœnitentia, nè ludat.

Quintò canones pœnitentiales, licèt pœnitentiæ ſint arbitrariæ.

Int. Quanta pœnitentia ſecundum canones iniungebatur pro quolibet peccato mortali?

Reſp. Septennis.

Int. In quibus caſibus non eſt iniungenda ſatisfactio?

Reſp. Duobus: primò,ſi conſtat pęnitentem ſatisfeciſſe: Secundò, ſi pęnitens eſt impotens, vt ſunt infirmi; tunc enim ſolùm debet eis indicari, & adiuuandi ſunt Eccleſiæ ſuffragijs.

Quando autem pęnitens nullam omnino pœnitentiam vult acceptare, offerens ſe ſatisfacturum in purgatorio; confeſſor potiuſquàm dimittere eum deſperatum, & ſine pœnitentia, ſaltem iniungat vnum Pater noſter.

Inter. Poteſtne alius adimplere pœnitentiam alteri iniunctam?

Reſp. Poteſt, tribus concurrentibus.

Primò, quòd ambo ſint in charitate.

Secundò, quòd adſit cauſa rationabilis, vel articulus neceſſitatis.

Tertiò confeſſoris licentia, quæ tamen non requiritur in conſtitutis in articulo mortis.

DE

DE ABSOLVTIONE, QVAE EST *forma Sacramenti pœnitentiæ.*

Int. QVæ eſt forma abſolutionis?

Reſ. Ego te abſoluo. Reliqua autem, quæ præmittuntur, & ſubſequuntur, ſunt ſolùm ad bene eſſe, & de conſuetudine: imò ſi quis etiam omitteret, Ego; vel diceret: Nos abſoluimus vos; teneret abſolutio; licèt peccaret ſic faciens.

Int. Cui eſt deneganda abſolutio?

Reſp. Primò, non dolenti de præterito.

Secundò, non habenti propoſitum abſtinendi de futuro.

Tertiò non habenti propoſitum ſatisfaciendi, putà reſtituendi, aut eijciendi concubinam.

Quartò, nolenti relinquere expreſſam occaſionem peccati.

Quintò, excommunicato, priùs enim debet præcedere abſolutio ab excommunicatione, quàm abſolutio à peccatis.

Int. Caſus reſeruati impediúntne abſolutionem?

Reſp. Si huiuſmodi caſus non habeant excommunicationem annexam, non impediunt abſolutionem à cęteris peccatis. Ideò poteſt confeſſor priùs mittere pœnitentem ad eum, cui caſus reſeruatur; vel poteſt abſoluere ab ijs quorum habet authoritatem, & poſteà mittere pœnitentem pro abſolutione à caſu reſeruato.

DE

DE MINISTRO SACRAMENTI *pœnitentiæ.*

Int. QVis eſt miniſter huius ſacramenti?
Reſ. Proprius ſacerdos.
Int. Quis eſt proprius ſacerdos?
R. Papa eſt proprius ſacerdos oĩum Chriſtianorũ.
Epiſcopus ſuorum diœceſanorum.
Parochus ſuorum Parochianorum.
Et delegati ab iſtis ad audiendas confeſſiones, fiunt proprij ſacerdotes.
Int. Qui ſunt caſus, quibus non tenetur quis confiteri proprio ſacerdoti?
Reſp. Sex: Primò, neceſſitas mortis: tunc enim quilibet ſacerdos fit proprius, & ab omnibus poteſt abſoluere, ſicut Papa; infirmus pœnitens tamen ſi conualeſcat, & tunc erat ligatus aliqua cenſura; tenetur ſe præſentare quam citò ſuperiori: alioquin in eaſdem cenſuras relabitur. Hoc priuilegium non habet neceſſitas communionis, & miſſæ; tunc enim non habenti proprium ſacerdotem, ſufficit contritio.
Secundò, libertas, vel quia nulli eſt ſubiectus, vt Papa, vel quia eſt vagus; vel quia ſolùm confitetur peccata venialia.
Tertiò, Facultas eligendi confeſſorem, conceſſa vel à iure, vel per Iubilęum, aut confeſſionalia.
Quartò, Licentia explicitè conceſſa, vel implicitè.
Quintò, Quando proprius ſacerdos eſt reuelator confeſſionum, vel ſollicitator ad malum.

Sextò

Sextò Conſuetudo habendi curam animarum præſcripta, operatur, vt habens huiuſmodi curam poſſit eorum audire confeſſiones, eiſq; dare licentiam confitendi; ſecùs eſt de conſuetudine eligendi confeſſorem, quæ præſcribi non poteſt.

Inter. Quot ſunt conditiones proprij ſacerdotis?

Reſp. Quinque, Poteſtas, Bonitas, Prudentia, Scientia,& Sigillum.

Inter. Quæ, & quotuplex poteſtas requiritur in confeſſore?

Reſp. Duplex: Altera eſt ordinis; ideſt quòd ſit ſacerdos: Altera iuriſdictionis, ideſt quod pęnitens ſit ei ſubditus.

Int. Quotuplex eſt iuriſdictio?

Reſp. Duplex, vel ordinaria, qualis eſt illa Papæ, Epiſcopi, & Parochi; vel delegata, qualis eſt illa Religioſorum, & eorum, qui deputati ſunt ad audiendas confeſſiones à prædictis.

Int. Quæ differentia eſt inter iuriſdictionem ordinariam, & delegatam?

Reſp. Qui habet poteſtatem ordinariam, poteſt dare licentiam ſubditis confitendi alteri, & deputare ſacerdotes, ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum; dummodò ſint ab ordinario examinati, & approbati.

Int. Deputatus à ſuperiore ad audiendas confeſſiones potéſtne è reſeruatis abſoluere?

Reſp. Non, niſi expreſsè concedatur, Prætereà

cui

cui conceditur abſolutio à reſeruatis, non conceditur abſolutio ab excõicatione,& cenſuris,& è conuersò; requiritur enim ſpecialis conceſſio.

Inter. Quæ bonitas requiritur in confeſſore?

R. Quod non ſit in peccato mortali: alioquin pecaret mortaliter miniſtrando hoc ſacramentum.

Inter. Quæ prudentia requiritur in confeſſore?

Reſp. Vt ſit prudens in acceptando pœnitentem alacriter, ſeruando reprenſiones in fine confeſſionis. Permittat Pœnitentem priùs dicere peccata, quorum habet memoriam, interrogando poſteà ea, quæ omiſit. Non ſit moleſtus in inueſtigando nimis exactè numerum. Caueat nè doceat pœnitentem peccata, quæ neſcit. Cognita ſpecie peccati, poteſt omittere inueſtigationem modi, quo commiſſum fuit peccatum. Vtatur vocabulis honeſtis. Sit prudens in inducendo pœnitentem ad contritionem; in excidendo occaſiones peccati; In iniungendo pęnitentiam principaliter intendat ſatisfactionem pro præteritis; & ſecundario remedium pro futuris.

Int. Quæ ſcientia requiritur in confeſſore?

Reſp. Scire tenetur diſcernere inter peccatum mortale, & veniale.

Int. Qũo diſcernitur peccatum mortale à veniali?

Reſp. Primò, omne peccatum, cui ſcripturæ comminantur priuationem regni cœleſtis, illud eſt peccatum mortale.

Secundò

Secundò, ſi eſt notabiliter contra charitatem Dei, & proximi, eſt mortale.

Tertiò, ſi eſt contra præcepta Dei, vel Eccleſiæ, eſt mortale, ſecùs, eſt ſi eſt præter; tunc enim erit veniale.

Quartò, erit mortale, ſi eſt contra vota, vel conſtitutiones iuratas, vel obligantes ad mortale; ſimiliter ſi eſt contra conſcientiam dictantem eſſe mortale.

Quintò, ſi eſt contemptus.

Sextò, ſi ponitur finis in creatura, quod cognoſcitur, cùm quis potiùs eſt paratus peccare, quàm relinquere talem creaturam.

DE EXCOMMVNICATIONE.

Inter. Quid eſt excommunicatio?

Reſp. Eſt ſeparatio à communione fidelium temporali vel ſpirituali.

Int. Quotuplex eſt excommunicatio?

Reſp. Duplex, maior & minor.

Int. Quæ differentia eſt inter maioré, & minorem?

Reſp. Maior priuat participatione actiua, & paſſiua ſacramentorum, & conuerſatione fidelium: Minor verò ſolùm priuat paſſiua participatione ſacramentorum, & paſſiua electione ad dignitates, & beneficia.

Int. Quomodo incurritur excõmunicatio minor?

Reſp. Participando cùm excommunicato maiori excommunicatione, in quinq; caſibus à iure

pro-

prohitis, hoc verſu contentis.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Os, ideſt locutio: Orare, ideſt ſimul intereſſe orationi, miſſæ, & diuinis officijs; Vale, i. ſalutare, & ſcribere. Communio. i. participatio in ſacramētis. Menſa, ideſt ſimul comedere, & bibere.

Int. Tenemúrne ſemper vitare eum, quem ſcimus excommunicatum?

Reſp. Non, ſed ſolùm in duobus caſibus.

Primò, Oportet quòd ſit publicè, & nominatim excommunicatus.

Secundò, Quòd ſit notorius percuſſor clerici.

Int. Excipiuntúrne aliqui caſus, in quibus poſſit participari cum excommunicato aliquo iſtorum modorum, licèt denunciato, vel notorio?

Reſp. Quòd ſunt quinq; hoc verſu contenti.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Vtile, ideſt meæ, vel ſuę vtilitatis cauſa. Lex, ideſt matrimonij; vxor.n. poteſt participare cum marito excommunicato, ſed non è conuersò. Humile, ideſt ſubditi cum ſuperioribus, vt filius poteſt participare cum patre excommunicato, & ſeruus cum Domino, ſed non è conuersò;

Res ignorata, ideſt ignoratio facti.

Neceſſe, ideſt meæ, vel ſuæ neceſſitatis cauſa.

Int. Quis pōt abſoluere ab excōicatione minori?

Reſp. Quicunq; ſacerdos habens poteſtatem audiendi confeſſiones, poteſt ab illa abſoluere; imò etiam hac facultate carens.

Inter.

Inter. Quomdo incurritur in excommunicationem maiorem?

Reſp. Contrafaciendo præcepto,cui eſt annexa excommunicatio, in hęc verba: Sit excommunicatus, aut ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vel ipſo facto, ſiue ipſo iure,aut ſubiaceat excommunicationi.

Si verò vtatur verbis futuri temporis, vel comminatorijs; vt ſub pœna excommunicationis, vel excommunicetur, delinquens contrafaciens, non incurrit excommunicationem; peccat tamen mortaliter.

Int. Quotuplex eſt excommunicatio maior?

Reſp. Duplex;quædã ſunt à iure,& ſunt illæ, quæ ſunt regiſtratæ in corpore iuris, in extrauagantibus Pontificum,& in quibuſcunque Concilijs: quæ quidem obligant in perpetuum, vbi publicatæ fuerint. Quædam ſunt ab homine, & iſtæ ſunt illę,quas ferunt iudices: obligant autem ſolùm viuente iudice, quo moriente, vel exeunte de officio, ſpirant: Si quis tamen interim illis fuit irretitus, indiget abſolutione.

Int. Quis poteſt abſoluere ab excommunicatione maiori?

Reſp. Ab ijs, quę ſunt à iure, aliquando ſolus Papa,aliquando ſolus Eps̃.Si verò nulli prædictorum, nec alicui alteri ſint reſeruatę, ſecundum doctores, quilibet ſacerdos habens poteſtatem audiendi confeſſiones poteſt abſoluere:

Alia

Alia verò, quæ ſunt ab homine, ſolus ille, qui tulit, vel i pio ſuperior, poteſt abſoluere.

Interrog. Qui ſunt effectus excommunicationis maioris?

Reſp. Duodecim: Priuatio actiuæ, & paſſiuæ participationis ſacramentorum. Bonorum, quæ fiunt in Eccleſia, & orationum. Regni cœleſtis (Et hoc ſi excommunicatio eſt iuſta, vel etiam iniuſta, & malè contemnitur.) Excluſio ab actu cuiuſcunq; ordinis. Alioquin exercendo fit irregularis: Priuatio actiuæ, & paſſiuæ collationis dignitatem; etiam laycarum, nec non beneficiorum: Excluſio ab ingreſſu religionis, niſi priùs abſoluatur: Priuatio exequutionis quorumcunque officiorum: Vti nou poteſt iuriſdictione, quam habet: Priuatur ſpirituali poteſtate: Suſpenditur ab omni actu legali, vt aduocare, procurare, iudicare, inſtrumenta facere, & ſimilia. Poſtremò caret Eccleſiaſtica ſepultura: & ſi quis per annum perſeuerarer, non curando de abſolutione ab excommunicatione, poſſet procedi contra eum tamquàm contra ſuſpectum de hæreſi.

Inter. Quæ eſt forma ſolemniter abſoluendi ab excommunicatione maiori in atrocibus criminibus?

Reſp. Dic, vt ſupra notauimus, cap. de modo abſoluendi.

Digitized by Google

DE RESTITVTIONE.

INterrog. Quot conſideranda in qualibet reſtitutione?

Reſp. Octo, his verſibus contenta.

Quis, quid, vbi, quantum, cui, quando, quomodò, quòque.

Ordine reſtituas, ſic pie lector habe.

Quis, ideſt non ſolum rapiens, ſed quicunq; fuit cauſa efficax damni. Quid, ideſt rem alienam, non ſolùm ablatam, verùm etiam id quod bona fide poſſidebatur, damna, intereſſe, & fructus perceptos, nec non honorem, & famam, & ſi res conſumpta eſt, reſtituendum erit ęquiualens. Vbi, ideſt, ſi reſtitutio facienda conſurgit ex actione iniuſta, debet fieri in tali loco, quòd dominus remaneat indemnis: Si verò conſurgit ex re aliena, quam poſſidebat bona fide, fiat reſtitutio vbi res habetur. Quantum, ideſt æquale; & ſi quantitas eſt incerta, reſtituatur arbitrio boni viri. Cui, ideſt regulariter fiat domino rei; niſi rationabilis cauſa obſtet. Si verò reſtitutio debet fieri ex eo, quòd dare, & accipere eſt prohibitum, vt in ſimonia, detur eccleſiæ, vel pauperibus: vbi verò ſola acceptio eſt prohibita, reſtituatur damnum paſſo vt in vſura: Quando, ideſt quò ad animum debet eſſe promptus quantò citiùs reſtituere:

quò

Digitized by Google

quò ad executionem verò, vt primùm adeſt opportunitas. Quomodo, ideſt per ſe ipſum, vel aliam perſonam fide dignam, occultè occulta reſtituendo; publiceq́; publica. Quo ordine; vbi poteſt omnibus ſatisfieri, nullus eſt ordo neceſſarius in reſtitutione, ſi verò nequeat omnibus ſatisfieri, priùs reſtituenda ſunt aliena, quæ adhuc extant in ſua ſpecie; poſtea certa, incertaq; deinde.

Inter. Quid ſignificat reſtituere inſolidum?

Reſ. Integrè, ideſt totam rem.

Inter. Quot nam ſunt caſus, quibus tum fur, tum etiam alij inſolidum reſtituere tenentur?

Reſp. Nouem, verſibus hiſce contenti:

Iuſſio, conſilium, conſenſus, lausq́;, recurſus.
Participans, mutus, nō obſtans, nō manifeſtans.
Et hi tenentur reſtituere inſolidum, modò damni efficax cauſa ipſi fuerint.

DE VSVRA.

Inter. Quid eſt Vſura?

Reſp. Eſt lucrum ex mutuo intentum, vltra ſortem.

Inter. Licétne mutuare quinq; pro centenario?

Reſp. Non: dicit enim ſcriptura, mutuum date, nihil inde ſperantes; licet tamen in mutuo aliqua recipere, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis.

Inter.

Inter. Potèſtne licitè mulier ſuæ dotis pecuniam mutuare, aliquid pro centenario accipiendo?

Reſp. Non; poteſt tamen ad onera matrimonij ſuſtinenda pro centenario aliquid ab eo accipere, qui eam dotare tenebatur, cum eſt in mora ſoluendæ dotis.

Inter. Licétne accipere à mercatore, vel ab eo, cum quo contraho ſocietatem, quinque pro centenario, ſaluo capitali?

Reſp. Non.

LAVS DEO.

Inquiſitor vidit, & conceſſit, vt Imprimatur.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-3-2

Digitized by Google